





EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI;
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB.BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.


N^o. 20.














JOHANNIS HENRICI BOECLERI

DE

ELOQUENTIA

POLITICI

LIBELLUS.

five

DISSERTATIO AD LOC. TAC.

XIII. *Annal.* 3.

De

ELOQUENTIA PRINCIPUM

Romanorum.



ARGENTORATI

Ex Officina JOSIAE STÆDELII, ACADE-
MIÆ TYPOGRAPHI.

Anno MDC LIV.

Ch 4725

JOHANNES KEPLER DE CA...

8

Oportet scire quod Keplerus
 pro anno 1610 in
 LIBERIS...
 hoc...
 DASSERATIO AD LOC. 246
 XIII. Anno 2
 unponit. P...
 ED...
 deducit...
 tanquam...
 nura...
 no...
 tunc...
 nequa...
 detur...
 col...
 p...
 ne...
 OPERA...
 EX OFFICINA...

M. S. TYDOR...

Anno MDCXIV





Lectori Benevole S. P.

IN argumento late fuso, & politæ scri-
ptionis capace, neque copiam, neque
ornatum secuti sumus, Lector Bene-
vole. Placet nobis in hoc genere differendi,
quædam simplicitas: à qua vix discedimus, ni-
si cum oratoris personam, necessitas nobis,
parùm fane vel optantibus, vel sustinentibus
imponit. Premere scripta, ex lege veterum, &
perpolire, & libero cursu ad ulteriores metas
deducere, hæctenus nec sæculi, nec officii mei
ratio tulit. multo minus silere licuit: quæ mi-
nima studiis libertas deberi videtur. Imme-
rito igitur antiquam cantilenam mihi occen-
taverit aliquis: Cur, commisisti, ut excusatio-
ne opus haberes? Quanquam cur ea opus ha-
berem, apud bonos cordatosq; & rerum peri-
tos lectores? quibus non possunt non probari,
quæcumq; certo proposito, & bonis discipli-
næ legibus nixa, temeritatem omnem, à sui
operis auspicio formulaque excluderunt. Ita
senties, Lector Benevole, & valebis.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in approximately 20 horizontal lines.





C. B. D.

De

Eloquentia Politici, Dissertatio
ad Taciti XIII.

Annal. cap. 3.



Obilis est *Digressio Taciti*, quam de civili Principum Romanorum eloquentia instituit, cum annali terdecimo funus Claudii, & laudationem funebrem à successore Nerone habitam descripsisset. Quia enim Seneca illam orationem multo cultu composuerat (ut fuit illi viro amœnum ingenium, & temporis illius auribus accommodatum) factum est, ut annotarent seniores, quibus otiosum est vetera & presentia contendere, primum ex iis, qui rerum potiti essent, Neronem aliena facundia eguisse. Nam dictator Caesar (ita pergit Historicus) summis oratoribus amulus: Et Augusto prompta ac profluens, qua deceret Principem, eloquentia fuit: Tiberius arte ut quoque callebat, qua verba expenderet, tum validus sensibus, aut consulto ambiguus. Etiam C. Caesaris turbata mens vim dicendi non corruptit. Nec in Claudio, quotiens meditata differeret, elegantiam requireres. Nero puerilibus statim annis, vividum animum in alia detorsit.

II. Ut ad hunc locum aliquid annotaremus, nata nobis ex ratione muneris occasio est. Et, quanquam de Principum facundia potissimum hic sermo sit: malimus tamen commentationi nostræ indicem & fines paulo productiores dare. De *Eloquentia scilicet Politici* agentibus, fas erit, tum ipsos præcipue Principes, civilis prudentiæ & muneris nomine; tum ex ceteris, cuicumq; altior reip. intellectus aut usus est, elogii communis nota honestare.

III. Civilem scientiam tribus debere rebus censeri, iudicat Carolus Paschalinus: cognitione juris, peritia historiarum, eloquentia. Et in legat. sane (ut de eloquentia nunc tantam agamus) Politici nomen tri- cap. 15.

A

buere

DE ELOQ

buere ei, qui non possit vel loquendo vel scribendo, vel utroque modo negotia civilia, prout par & opus est, explicare, nulla idonea ratio permittit. Id quod tam manifestam habet evidentiam, ut abuti otio videri possim, si magnum & perpetuum eloquentiae in omni vita actuque civili usum, institutam probatum ire.

IV. Sicut autem virtutes ipsae, cum certis vitae generibus ac officiis tribuuntur, non jam sub communes locos cadunt, sed in singularem observationem eunt, ut aliter de regis, aliter de hominis virtute loquendum sit: ita quamquam nullum verae eloquentiae genus, à viro civili plane alienum sit, peculiarem tamen ex proposito ingenioque actionis civilis aestimationem subit oratio, cum velut in medio rerum usu & negotiorum consuetudine, de eloquentia *Politici* (sive *politiciam* velis appellare) suscipitur cogitatio. Neque enim hic spectamus aliud, quam eam sermonis & scripturae facultatem, qua viri Rempublicam intelligentes aut tractantes, res civiles, pro earum ingenio, habitu, ceterisque momentis, apte & decore, adeoque ad obtinendam politici actus vim & dignitatem accommodate exprimunt. Sive quis malit dicere: Eloquentiam Politici, ubique in usu civilis vitae, cum Prudentia Politici paria facere, ejusque rationes animo provisas, iudicio comprehensas, proposito destinatas: quanta fieri potest dexteritate orationis assequi, & commode explicare.

V. Invenias quidem apud quosdam Politicum, non alium quam Oratorem dici. Nota sunt Fabii verba in proemio operis: *vir ille vere civilis, & publicarum privatarumque rerum administrationi accommodatus, qui regere consilium urbes, fundare legibus, emendare iudicium possit, non alius est profecto quam Orator.* Quem etiam Cicero ex omnibus Sapientibus, auctorem publici consilii, & regenda civitatis ducem, & sententiae atque eloquentiae Principem in senatu, in populo, in causis publicis, facit. Sed qui sic disputant, eloquentiae in rep. usum generaliter ac universe cupiunt extollere, ut conficiant illam Ciceroni tractatam alibi sententiam: *Sapientiam sine eloquentia parum prodesse civitatibus.* Itaque ostendunt multas urbes constitutas, plurima bella restincta firmissimas societates, sanctissimas amicitias, eloquentia comparatas, percensent exempla maximarum rerum gestarum, quae sine eloquentia non potuissent geri: numerant rerum principes quibus in pra-

in de in-
Sent. 1,

Fab. 2, 16.

Cic. Brut.

140.

cipi a

capua operum, eloquentia vel pro instrumento, vel pro telo fuit. Ad-
 jiciunt honores eloquentiæ habitos. quis enim nescit, in Græcis ci-
 vitatibus, primam semper Oratoris dignitatem fuisse? Nec aliter vi-
 sum Romanis, qui ceteris gentibus peritiores in tractanda rep. ha-
 beri voluerunt. *Nam quis unquam dubitavit* (inquit rursus Cicero)
quin in rep. nostra primas eloquentia tenuerit semper, urbanis pacatisque re-
bus: secundas juris scientia? Horum sententia nunc non amplius uti-
 mur, quam ut denuo, quod ante diximus, declaretur: ab optimis ex-
 emplis & rationibus clarissimorum Politicorum abire, qui nomen
 Politici sine eloquentia sibi videntur tueri posse.

in orator.
14.

VI. Florebat sane plurimum Romæ forensis illa eloquen-
 tia, ad quam pleraque studia diu referebantur. Et sicut inter ru-
 dimenta futuri Politici (perseverabimus enim hoc vocabulo uti)
 actiones fori numerabantur: ita laboris plurimum ponebatur, in
 eo genere orationis, quod ad explicandam ingenii ubertatem, ad
 publicanda solenniore apparatu studia, ad gratiam deniq & aucto-
 ritatem prorsus accommodatum videretur. Unde etiam in Scho-
 lis Rhetorum, pleraque institutio & exercitatio dicendi, in *Contro-*
uersis substitit. nisi quod *suasoris* etiam insudatum est: quæ jam
πολιτικώτερον aliquid promittunt, si ad usum curiæ & deliberatio-
 num civilium referantur. nam foro & judiciis sua denique mansit
 seorsum occupatio, distinctumque est forensis facundiæ elogium,
 à politica eloquentia, quæ in ceteris reip partibus tractandis con-
 sultandisque cernebatur.

Sues. Clar.
Rhet. 1. Fabo
2. 1.

VII. Certe Senatorias orationes, sententias, consilia, etiam
 Cicero sic distinguit à fori actionibus, ut in his, Jurisconsulti &
 oratoris, in illis Politici laudem videatur quarere. *Fuit mihi com-*
modum (ita scribit ad Atticum) *quod in eis orationibus, quæ Philippica no-*
minantur, enituerat civis ille tuus Demosthenes, & quod se ab hoc refracta-
riolo judiciali dicendi genere abjuxerat, ut *συνέπεις τις ἢ πολιτικώτερος*
videretur, curare, ut mea quoque essent orationes, quæ Consulares nomina-
rentur. Idem existimare fas est, de concionibus habitis ad Popu-
 lum: qui in republica libera in vicem senatus succedit, consiliique
 publici dominus & arbiter est. Hinc Demosthenes ille cujus mo-
 do mentio facta, tanti Politici nomen meruit. ne de reliquis Athe-
 nensium aliarumque civitatum Græcarum oratoribus dicam: quos

epist. 2. 9.



magis illustrarunt orationes de republica, quam de causis foren-
sibus.

in Vit.
Rhet.
lib. 1.

VIII. De Lycurgo Plutarchus: ἐπολιτεύσατο ἐπιφανῶς καὶ λέγων καὶ πράττων. in republ. gerenda, actu juxta & oratione, sive verbis factisque magnificus erat. Plane ut Periclem Thucydides λέγειν τε καὶ πράττειν δυνάτωτατον, agendo dicendoque validum atque efficacem, vocat. Eloquentiam inter artes laudesque Politici, utraque sententia ponit: nec quamvis tamen, sed Politicam. quam non argumento tantum aestimaveris, sed personæ insuper conditione; ac dicendi genere, quod paulo post requirendum nobis erit. Ipsum enim eloquentia genus alios aliud docet. Est quod Principes deceat, aliis non concesseris. Imperatorum ac triumphalium separata est aliqua ex parte ratio eloquentia: sicut Pompeius abunde disertus rerum suarum narrator, & hic qui bello civili se interfecit Cato, eloquens senator fuit. Qua de re amplius disputat Fabius. Pertinet huc elogium L. Torquati, quem tu non tam cito Rhetorē dixisses (et si non deerat oratio) quam ut Græci dicunt πολιτικὸν: judice Tullio. qui & Lentulum ait, eloquentia satis habuisse, ad remp. duntaxat quod opus esset. itemque C. Lælio eloquentia tantum tribuit, quod esset in rebus privatis amicis eius, in rep. ipsius dignitati satis. Quæ loca nobis ostendunt, personæ non minimam esse considerationem, cum de civili eloquentia quarimus.

in Inst. or. 1.
in Brut. 76.
cap. 28.
cap. 45.

IX. Quanquam est omnino quidam dicendi character, si-
ve quædam actionis forma, quæ τύπος πολιτικὸς designatur. Ejus
Auctorem facit Rhamnusium Antiphontem, Hermogenes: Plutarchus
autem Isocratem eo nomine laudat, quod primus εἰσιτικὸς λόγους oratio-
nes contentiosas à civilibus sejunxerit, maximeque λόγοις πολιτικοῖς studue-
rit. Ejusdem studii testimonio Democharem honestat, κατὰ τὰς
πολιτικὰς λόγους ἕθενός χείρω, nemine inferiorem in civilibus orationibus
prædicans. Nec abludunt, quæ de Isæo scribit. Certe Athenis Schola
constituta est πολιτικῶν λόγων, πολιτικὸς δέσνθρ sive cathedra eloquen-
tia politica sicut Cresollus in theatro Rhetorum ostendit. Unde homi-
nes reipublicæ destinati, tales potissimum magistros sibi delige-
bant. quod vel Juli Augustique Cæsarum exemplis, quæ
Taciti locus huic dissertationi præscriptus commendat, declarari
potest. Quid enim aliud spectavit Julius, cum Rhodum profectus
Apollonio Molonis clarissimo tum dicendi magistro operam daret,
quam

de Ideis.
in Rhet.
lib. 1. cap. 30.

quam ut civilem eloquentiam perficeret, ad quam eum natura du- *Suet. Jul. 4.*
 cebat? ita *Plutarchus* in historia ejus disciplinæ notat: λέγεται δὲ
 ἢ φῆναι πρὸς λόγους πολιτικὸς ὁ Κεῖσαρ ἄριστος, καὶ διαπονήσει φιλοπρώτατα *in Cas.*
 τὴν φύσιν. fertur *casar maxime accommodatam civili eloquentiæ naturam ha-*
buisse, eamque summo studio excoluisse. Augustus autem cum à Julio
 Apolloniam missus esset, id præsertim in mandatis habuit, ut inter
 cetera studia, quibus ad summæ fortunæ cultum instruuntur singu- *Dio 45.*
 lares naturæ, diligentissime daret operam eloquentiæ: politica scili-
 cet, habili, gerendis rebus aptæ, denique cujus exemplum Cæsar
 ipse, πολιτικώτατα sive modo maxime politico disertus, præmon-
 straverat.

X. Prius autem quam de natura eloquentiæ & orationis Po-
 liticæ pressius agamus, dissimulandum non est, πολιτικὸς λόγος apud
 Græcos, sæpe forenses notare orationes, quas nos antea ratione in-
 stituti à vere politicis distinximus. Plerumque tamen intelligitur
 hac voce forma dicendi ad usum actumq; rerum nata, quæ in foro
 etiam præcipuum laudis tulit. Itaque *Hermogenes*, qui copiosissime,
 & ut solet, accuratissime τύπον πολιτικὸν αὐτὸν λόγον πολιτικόν, formam
 orationis politicæ explicavit, & in judiciis, & in curia senatuque, & in
 comitiis sive concione, cum ad populum habetur sermo, characteris po-
 litici usum requirit atque commendat: ejus tamen nominis digni-
 tatem semper τῷ σοφιστικῷ ἢ λογιῶτικῷ, scholasticæ & declamatrici
 eloquentiæ, ut sic dicam, orationiq; ad ostentationem factæ, ita op-
 ponit, sicut otiosum à serio abjungitur solet. *Dionysius* quoque *Longinus*,
 electissimæ artis magister, cum libellum κεικώτατον de sublimi di-
 cendi genere auspicatur, virorum politicorum judicio stare vult
 suas annotationes aut cadere, εἴ τι δὴ δοκῶμεν ἀνδράσι πολιτικοῖς τε θεωρη-
 κέναι χρήσιμον, si forte studium meum, inquit, Politicis viris queam approba-
 re. Non loqui eum de peritia fori, totum argumento est opusculum,
 quo omne scriptorum genus, ad partes vocat, quatenus à vita civili
 & moris humani consuetudine, adeoque intelligentia politica, ab-
 horrentia scripserunt.

XI. Scilicet in Græcia viri civilis officium, quoties id uni-
 verse & in amplitudine sua spectatur, æstimabatur his partibus:
 si in judiciis defendere, vel accusare; in senatu & concione populi,
 suadere, dissuadere, hortari, laudare, castigare, id est, per omnes reip.

A 3

partes,

partes, pro re & loco & tempore, eloquentiam expedire vir politicus posset. Sic apud Romanos postea omnis facundia hominum in rep. versantium, agendis causis in foro, explicandis consiliis in curia, habendis concionibus ad populum continebatur. Nisi quod sub Principatu, illa libera reip. facundia, vel usu vel pretio sui, itemque formâ, aliquid diversitatis & mutationis admisit. Porro sicut in his omnibus officiis, adeoque etiam in forense eloquentia, genus orationis politicæ locum habeat, quantum ad rationes artis attinet: ita consuetudine loquendi, iudicandique, potius cetera reip. argumenta, politici nominis honorem vindicarunt, sicut ante diximus: partim quod gravitas & civilitas, ut sic dicam, prudentiæ minus in forense strepitu & litibus se explicaret; partim quod forensis eloquentiæ studiosi à magnorum & Politicorum virorum exemplis moribusq; plurimum abirent, atque dignitati quæ primum in omni titulo politico auspiciam facit, minus prospere aut constanter servirent. Itaque nihil tam speciose de virili & oratoria eloquentia in foro prædicare Aper in nobili & noto Fabii Dialogo potuit: quin Marteno relinqueret satis materiæ, ad insectandam *lucrosam & sanguinantem eloquentiam*.

cap. 5.
cap. 12.

XII Si quis autem cupiat formam orationis politicæ describere, non alienum sane fuerit, repetere ex magistrorum libris, quæcunq; illi de perspicuitate, de moribus & virtutibus notis, de veritate & nativa indole, de industria & velocitate, de magnitudine, de severitate, de vigore, gravitate, splendore, venustate, aliisque stili civilis laudibus copiose diligenterq; tradiderunt. sunt enim hæc ejusmodi, ut interdum omnia, sæpius aliqua aut singula viri Politici orationem vel constituent, vel commendent: sicut vel ex solis nominibus existimari potest. Verum nobis non est animus, per præcepta Rhetorum nunc lectorem circumducere. quin potius hoc agamus, ut simplici, & ex ipso communis vitæ usu repetita dissertatione, Eloquentiam Politici, quatenus urbis non licet, exemplis quibusdam designemus.

XIII. Huic instituto suffecerit forte, si formam orationis politicæ potissimum perspicuitate, nativa simplicitate, & congruenti dignitate desiniverimus. Ita nondum effeceris orationem Politicam, inquires: cum in quovis argumento talis stilus possit reperiri? Certe. Sed istas notas, sicut supra repeti potest, referri exigique volumus

volumus, ad genium & indolem actus politici, & civilis vitæ con-
suetudinem: ut hæc demum oratio nobis Politica sit, quæ virtutem
suam intimis negotiorum civilium rationibus, & naturis actio-
num, tanquam unico exemplo, quam aptissime dexterrimeque
conformavit. Hinc enim judicandi, & appellandi hanc eloquen-
tiam, auspicia peti debent. Ex quo etiam apparet, accuratam sub-
intelligi rerum civilium intelligentiam in eo, cui aliquid hujus
laudis tribuendum est. ut valide huc pertineat illud *Ciceronis in Bruto*:
Dicere bene nemo potest, nisi qui prudenter intelligit. Quare politica
oratio, non nisi in Politico i. e. in viro reip. intellectum aut usum
habente, locum habet: ut fiat, *Eloquentia Politici*, quod præscri-
psimus.

Cap. 69

XIV. Intelligentiam autem & prudentiam Politici, cum
hic requirimus, aliquid præter hæc nomina exaudiri volumus,
etiam cum non nominamus. Ut enim intellectus rerum civilium,
& prudentia ad effectum hujus eloquentiæ, quam quærimus, perve-
niat, singulari opus est iudicii rectitudine, & expedita ratiocina-
tione sensus communis: à cuius consuetudine subtilissima sæpe in-
genia, oratione actuque, nimium quantum devertunt. Naturæ
prima ac præcipua ea fors est, quatenus de viro civili loquimur.
Hæc viri, qui & rerum & verborum notitia instructus est, mentem
informatur concipiendis, orationem enuntiandis sententiis: hæc
contextum ordinat: hæc effingit ipseiem & vultum, qualis juvat
& decet. Hæc omnium artificum præcepta superat: à quibus ad
optimam & certissimam magistram provocat, naturam rerum.
hinc omnem congruentiæ modum, artem, successum deducit. Ita-
que non sufficit ad eloquentiam Politici, bene dixisse, ornate scri-
psisse, graviter commentatum esse. Bene enim & graviter & or-
nate nemo utitur oratione civili, nisi qui ita utitur, sicut rei præsen-
tis tractatio postulat, sicut actionis genius recipit, sicut institutum
negotii admittit. Potest quis facundus esse, cum in locos communes
degredditur, cum negotia civilia, quibus incidit, universe & sub late-
parentibus titulis concipit. at Politici eloquentia nihil minus quam
per communia expeditur: plurimumque discrepant campi Rhetor-
um, disputationes Philosophorum, & Politicorum natæ ex ipsis
rebus curæ. Tetigit ipsum eloquentiæ politicæ genium & notam
interiorem:

DE ELOQ.

8

lib. 1.

interiorem Thucydides, ubi Themistoclem laudat, *ἡ ἐπίστατον ἀντοχὴν διὰ ζήτησιν* *τῶν δεόντων* qui promte posset oratione expedire, quæ opus erant, siue quæ res postulabat. neque tacuit naturæ felicis & Practicæ, ut interdum vocari solet, facultatem, è cuius arcano sinu, eloquentiæ tam rebus accommodatæ congruentisque promptitudo profluebat.

Dionys. Hal.

cap. 16. &

17.

lib. 1. ep. 20.

XV. Sed redeundum nobis est ad *Perस्पiciuitatem* illam, quam in omni eloquentia civili vel maxime requirimus. Multum sibi permisit plerumque schola, in obscuranda oratione, veluti per speciem artis auctoritatisque. sed civilis vitæ lucem, ut alibi monemus, dedecent stili tenebræ, quibus sincera rerum indoles plurimum corrumpitur, aut certe candor actionis infuscatur. Hinc aliqui pressam subtilitatem, & circumcisam brevitatem unice amplexi sunt: quo nomine ex veteribus Lyfias præcipue commendatur. Sed nec sola debet perspiciua existimari Lyfiaca dicendi ratio: nec Attica veterum subtilitas tam expedita semper fuit & aperta, ut nihil desiderarent, qui iudicio in talibus valuerunt. Nota sunt quæ Cicero in Bruto & Plinius in epistola quadam ad Tacitum, disputant. Sicut nec ex diverso, perspiciuus semper est, qui diffuso & copioso orationis ambitu perspiciuitatis studium consecratur. Nam dilucidæ apertæque orationis virtus, non tam modo verborum, quam explicatione rerum continetur.

Cic. 3. de or.

52. & Brut.

9.

in orator.

25.

contro. 8.

Lib. 9. ep. 26.

proem. l. 8.

XVI. Imo ne intelligi quidem à nobis debet perspiciuitas absq; *nariva illa simplicitate*, quæ excludit nimium artis studium, & quidquid supra ac infra rem est, rei q. animo conceptæ habitum. Præterquam enim quod *omni orationi debet insidere quidam venustatis non fucosus illitus sed sanguine diffusus color; siue naturalis non fucatus nitor*: cum primum pragmatico homini fugienda omnis nimia concinnitas, sicut notanter monet Tullius. Hinc Marcus Seneca de Dorione: *dixit rem paulo elatiorem, quam pressa & civilis oratio recipit*. cui scilicet omnia immodica, detorta, affectata, prorsus repugnant. Possis interdum de nonnullis dicere, quod Plinius sensu paulum diverso de oratore sui sæculi dixit: *Nihil peccat, nisi quod nihil peccat. Majore animo agredienda est eloquentia* (adhibeamus aptissima Fabii verba) *quæ si toto corpore valet, ungues polire & capillum reponere, non existimabit ad curam suam pertinere. Sed evenit plerumque, ut hac diligentia deterior etiam fiat oratio. Primum, quia sunt optima, minime arcessita, & simplicibus atque ab ipsa*

• P O L I T I C I .

ab ipsa veritate profectus similia. Nam illa quæ curam fatentur, ficta atque composita videri etiam volunt, nec gratiam consequuntur, & fidem amittunt. Legi omnino debent, quæ his continentur, ubi Ciceronis quoque sententia commendatur, qui maximum in dicendo vitium esse statuit, a vulgari genere orationis, atque consuetudine communis sensus abhorere. Cujus rei suspicionem ut à se amoliretur, in alteram partem excessit Albutius Silus orator & rhetor, apud Suetonium. Decianus habet de clar. enim genere vario: modo splendide atque adornate: tum, ne usquequaque her. 6. Scholasticus existimaretur, circumcise ac sordide & tantummodo trivialibus verbis.

XVII. Lapsus à vero est utique, dum Politicus videri voluit, sordide dicendo: quasi fortuita garrulitas, posset auctoritas existimari. Possimus quidem & hinc oratores politicos à dicentibus, eloquentes à sedulis, distinguere. exemplo Ciceronis: sed quis dubitet, universe in eloquentia Politici requirendam esse Dignitatem orationis, proposito & formæ rei congruentem? cum præsertim apud recte judicantes, omnis politicæ appellationis ratio, dignitate quadam rei studiique æstimari soleat ac describi. Plerumque ergo, ex ore Politici verbum nullum nisi aut elegans aut grave exire debet quoties Reipublicæ negotia ex dignitate gerenda suscepit: quippe quæ non aliter quam optimis sententiis verbisque lectissime dicenda videntur. Et quidni Materno aut Secundo hic locus sit? quos Fabius prædicat: gravitati summum nitorem & cultum verborum miscuisse. Aderant, electio in Dialog. de orat. 23. inventio, ordo rerum quotiens causa poscebat, ubertas; quotiens permittebatur, brevitatis: compositionis decor, sententiarum planitas. Exprimebant affectus, temperabant libertatem, aliaque magnorum oratorum munia dextre obibant. Nam ab his mutuatur Politicus noster, quidquid eloquendis suis negotiis commodum reperit: adeoque, vel maxime illud commune præceptum, ut humilia subtiliter summissæque, magna graviter, mediocria temperate dicat. in quo plena sermonis politici dignitas versatur. Cic. or. 29.

XVIII. Itaque, licet oratio politica sæpius præferat notam hominis de re magis, quam de verbis laboranti, eaque non ingrata pragmaticis viris soleat esse negligentia, meminisse tamen debemus, etiam negligentiam quandam esse diligentem: sicut in loco & tempore, formam venustæ mulieris nihil æque commendat, quam ipsa Cic. or. 13. formæ

formæ neglectio. Quare, cum omnia vel candoris vel ruboris fucati medicamenta, cum calamistris, repellentur, elegantia & munditia remanebit: *sermo purus erit: dilucide planeque diceretur, quid deceat circumspicietur.* Cumque omnis eloquentia origo verborum delectu contineatur, virum civilem minime decuerint verba sordida, barbara, obsoleta, talia denique quæ vel ruditatem utentis, vel minutam industriam prodant. Quamquam autem *verborum bonorum usus non arte, sed quasi naturali sensu judicetur* plerumque, *satisq; ornata sint verba, quæ res ipsa peperisse videtur:* non plane tamen nulla est observationis & studii ratio habenda donec ipsa nos exercitatio eo deduxerit, ut sensu statim percipiamus, quæ intellectum, quæ ornatum adjuvent. nam ad hanc regulam omnis verborum non vitiosorum æstimatio exigi debet.

XIX. Plus interim curæ sententiis deberi, quam verbis, Politici existimant. Et quod de consultandi deliberandique ratione dixit Cicero, totam orationem simplicem & gravem, & *sententiis debere ornatorem esse, quam verbis:* id ad Politici eloquentiam univèrse quodam modo accommodaveris. Hic enim dominantur probabiles, civiles, moratæ, gravesque sententiæ. Contra ea Sophistæ magis *concinnas* quam *probabiles* sententias exquirunt. Quod non eo monemus, ut *ornata sententiarum concinnitati*, alibi Tullio laudatæ locum in oratione civili adimamus: Sed ut ubique à declamatorum studio propositum viri civilis sejungamus. Hinc M. Seneca *controverfia VIII. Sententiam laudat, quæ non in declamatione tantum, possit placere, sed etiam in solidiore aliquo scripti genere.* Et *Suasoria V. sententia disertissima, inquit, quæ vel in oratione vel in historia ponatur.* Sed de sententiarum quidem generibus vitisq; & virtutibus nihil attinet hic disputare. id unum satis habeo monuisse, eas maxime sententias Politico vitandas, quæ à nativa rerum indole, & actus civilis dignitate longius abeunt, ad Sophisticam vero ostentationem, & affectatam mollitiem propius accedunt. Tales sunt *minuti corruptique sensiculi, & extrarem petiti: minima inventiuncula, quæ excussa risum habent, inventa facie ingenii blandiuntur:* Surdini *prædulces & infra-ita sententia:* Victoris Statorii, *decentissimi generis stulta sententia,* Sic Silo Pompejus non effugit cenfuram Seneca, cum *cacozelia genere humillimo & sordidissimo, quod detractioe aut adjectione unius syllabæ facit sensum*

Cic. Brut. 72

Cic. 3. de or.

37. & 2. d. o.

34. Fab.

VIII. 3.

Partit. or.

27.

Cic. or. 19.

Brut. 95.

vid. Fab.

VIII. 5.

Ibid.

Senec. Sua-

sor. ult.

Suas. 2.

*sensum, sententiam dixit. Glyconem vero adjectione supervacua atque
 tumida sententiam perdere solitum: Triarium quoque, dum sententiam
 puerilem captat, inepte dixisse, idem summus Criticus notat. Eius-
 modi sententiarum ineptiæ procul debent à civili eloquentia ab-
 esse: quæ ne illas quidem admittit sententias concisas, & interdum non
 satis apertas, cum brevitate, tum nimio acuminè: quibus tamen plurimi
 etiam hodie delectantur.*

*Suasor. ult.
 Suas. 1.
 Controv. 6.
 Cic. Brut.
 17.*

XX. Quod de sententiis dictum est, id vel maxime ad totam
 orationis compositionem, contextumque pertinet. Nihil de um-
 braticum, nihil molle, nihil nimium, & ab aurea mediocritate re-
 motum tolerari potest. Igitur non politice, sed sophisticè haberi
 eloquentes debent, qui *lascivia verborum, levitate sententiarum, & licen-
 tia compositionis, histrionales modos exprimunt. Falluntur enim pluri-
 mum, qui vitiosum & corruptum dicendi genus, quod aut verborum
 licentia resultat, aut puerilibus sententiis lascivit, aut immodico tumore tur-
 gescit, aut inanibus locis bacchatur, aut casuris, si leviter excutiantur floscu-
 lis nitet, aut precipitia pro sublimibus habet, aut specie libertatis insanit: ma-
 gis existimant populare atque plausibile. Nec vitia modo ista plu-
 rimum à dignitate Stili Politici devertunt: Sed etiam quidquid val-
 de pictum & florens est, ita ut elaborata concinnitas, & quoddam
 aucupium delectationis manifesto deprehensum appareat. Quod
 si enim Tullius à forensi eloquentia talem cultum exclusit, quanto
 magis Politici facundia, quæ minus sibi quam forensis permittit mo-
 dum tenere debet? Verba summi Auctoris sunt, in Oratore: est quod-
 dam etiam insigne, & florens orationis pictum & expolitum genus, in quo
 omnes verborum, omnes sententiarum illigantur lepores. Hoc totum è so-
 phistarum fontibus defluxit in forum; sed spretum à subtilibus, repulsum à
 gravibus, in ea de qua loquor, mediocritate consedit.*

*Fab. in dia-
 log. 26.
 Id. inst. oro
 XII, 10.
 cap. 27.*

XXI. Licet autem in foro etiam, modus & ratio tempera-
 menti quærat, tamen castigatioris notæ eloquentiæ, cetera Po-
 litici actus consuetudo postulat, sicut cœpimus dicere. Cum enim
 fori actiones, etiam in moderato oratore, retineant pugnam & quasi
 bellatorium stilum, reliqua Politicorum oratio liberior & pacatior,
 quam pro consuetudine oratorum, & fori, esse debet. Igitur du-
 plex illa oratoris virtus, una subtiliter disputandi ad docendum, altera
 graviter agendi ad animos audientium permovendos; in usu Politicæ
 eloquen-

*Plin. epist.
 VII, 9.
 Cic. Brut. 31.
 Ind. 23.*

eloquentiæ ad talem redigitur orationis modum: qui disputando movere, agendo docere, neque interim tam disputare aut agere, quam utriusque officii fructum suo quodam ac proprio dictionis genere videatur complecti.

XXII. Non unus interim eloquentiæ politicæ vultus est: quippe quam variant immutantq; sæculi genius, habitus actionum, mores dicentium aut scribentium, materia, consilium ex re naturæ, quæque sunt id genus alia. Igitur sive cum Rhetoribus genera constituas dictionis Asiaticæ, Rhodiæ, Atticæ; sive per infinitas & peculiare sigillatim formas & exempla circumferas animum: non deerunt negotia, tempora, personæ, quibus aliam atq; aliam undique speciem sermonis, modo illo Politico, quem hic spectamus, accommodes. *Homerus* respectu Politico *Ulyssi* vim, *Nestori* suavitatem, *Menelao* concinnitatem, celebres eloquentiæ notas tribuit: quas subinde magni Auctores, suæ in hoc genere meditationis argumentum faciunt. Sed sub istis titulis multa concluditur, & tot nominibus pæne, quot naturis, distinguenda varietas. Quæ enim in vultibus humanis, eadem in oratione animadvertitur diversitas: ut in maxima similitudine aliqua plerumque insit dissimilitudo. Verum, quia ad eloquentiam universe spectatam hæc disputatio pertinet, satius erit ad ea progredi, quæ proprie destinavimus.

Cic. Brut.
10. & 13.
Plin. epist.
L. 20.

XXIII. Quamquam ipsa *Taciti* dissertatio, nobis exempla diversitatis suppeditat, in eloquentia Principum, quos commendat. Nam primum *Dictator Caesar* summis oratoribus æmulus fuit. Quod elogium & iudicium Historici affirmari potest, præsertim per ea, quæ *Tullius* subinde tradidit, cum *negat se videre, cui Caesar debeat cedere. eique elegantem splendidam quoque ac etiam magnificam ac generosam quodam modo dicendi rationem* tribuit. In quibus verbis agnoscamus licet characteres politicos: quorum omnis cetera virtus ad τὸ γενναῖον, sive generosum quiddam, exigat. Licet interim apud me plus admirationis habeat, *nuda illa & recta venustas*, quæ absque omni cura aliquid accuratum; absque omni ornatu, aliquid speciosum refert. Quo nomine *Commentarii ejus de bello Gallico & civili* sine exemplo præcellunt. Tale ego dicendi genus viro Politico vel maxime optandum dixerim: cum & plurimum dignitatis, & minimum

Brut. 75.
Suet. Caf. 55.
C. 56.

nimum ostentationis, explicationem vero incomparabilem habeat. Vix potest juvenili ætati persuaderi, quod dico: quippe animis ad colorum & apparatus novitatem pronis, quæcunque diversa sunt, deteriora videntur. Operæ tamen faciet pretium, qui ab ætate sua mature impetraverit, ut expertis credat, quantum præstantiæ, non statim apparentis insit in stilo Cæsaris: longeque majoris operis esse, tali dicendi genus, quam apparatusissimas orationes, imitando consequi. Verissime enim de Cæsare dixeris, quod *Plutarchus de Lysia*: *δοκεί δὲ κατὰ τὴν λέξιν ἔυκολοῦν εἶναι, δυσμίμνενται δὲ ὄν.* *facilis sermone videtur, sed imitatu difficilis est.* Quapropter rectissimo consilio, Magnus ille *Iacobus Britannix Rex*, inter gentiles *Historicos*, neminem magis commendavit filio, quam *Julium Cæsarem*: cum ob dictionis suavitatem, tum ob materia dignitatem.

*In Rhet.
Sit.*

*Δωρ. βασιλ.
lib. 2.*

XXIV. Ab hoc non multum divertit Augusti eloquentia, de quo *Tacitus* noster: *Augusto promta & profluens, quæ Principem deceret, eloquentia fuit.* Tribuit alibi *Tacitus Q. Haterio*, in oratione, *canorum* aliquid & *profluens*: sed ex eo genere eloquentiæ, quod impetu magis quam cura viget, & audientibus forsitan in præsentia probari, posteritatis autem censuram ferre non potest. Apud *Ciceronem* quoque *profluens quiddam habuit Carbo, & canorum.* quem locum haud dubie in animo habuit *Tacitus*, cum ista de *Haterio* scriberet. Quin etiam, aliquando *eloquentiam & oratoriam vim inanis quadam profluentia loquendi imitari videtur*, animadvertente *Tullio in partitionibus*. Sed Augusti, de quo loquimur, *promta & profluens eloquentia*, præcipuo & vere politico laudis genere celebranda est. Nullibi hæerere, nihil moleste, nihil morose loqui aut scribere: oratione facili & expedita, non aliter quam habili instrumento artifex utitur, promte negotia quæcunque tractare & explicare: hæc profluentis eloquentiæ, & in politicam promptitudinem adornatæ opera sunt. Ergo longe plus Augusto tribuit *Tacitus*, quam *Secundo Fabius*, cum in dialogo scribit: *Secundo purus & pressus, & in quantum satis erat, profluens sermo non deerat.* Cum enim præcipua sit orationis virtus explicatio: *profluens* quiddam requiritur & expeditum, ne intelligentia rerum interpellatur, quoties dictionis cursus obhærescit. Equidem tam sterilis ingeni vix quisquam competus est, quin post operam eloquentiæ datam, multa profluenti sermone possit expla-

IV. A. 61.

de or. III. 7.

cap. 23.

cap. 2.

nare ; Sed in pluribus, hæret, & luctatur, non sine fastidio hominum, & intertrimento negotiorum. At vero Augustum, vel à suspicione ejus rei & naturæ & studii promptitudo, in eloquentia politica plurimum liberavit.

Suet. Aug.
86.

Indid. cap.
84.

XXV. Genus enim eloquendi secutus est elegans & temperatum: vitatis sententiarum ineptiis, atque inconcinnitate, & reconditorum verborum, ut ipse dicit, fœtoribus. præcipuamque curam duxit, sensum animi, quam apertissime exprimere. Ejusdem disciplinæ auctor suæ domui fuit, ne moleste scriberent & loquerentur. Hæc & cetera in hanc sententiam, qui apud Suetonium legit, non potest non amare prudentiam summi Principis: quo cum nemo melius intelligeret, rerum humanarum actionumque recessus, & abdita suisque varietatibus involuta mysteria: summo sibi cavendum opere duxit, ne orationis ambagibus clauderet, quæ non nisi aperta & in lucem exposita, finem humani propositi consequuntur. Hæc prima Augusto cura. proxima diligentiam stili, sive potius, auctoritatem Principis spectat. Quamvis enim non deficeret ad subita extemporali facultate, neque in Senatu, neque apud Populum, neque apud milites locutus est unquam, nisi meditata & composita oratione. Sermones quoque cum singulis, atque etiam cum Livia sua graviores, non nisi in scriptis, & è libello habebat: ne plus minusve loqueretur ex tempore. Rideret forte aliquis plus satis promptus, tam minutam industriam; sed ratio magna & gravis est, & quæ magnum faceret auctorem, etiam si per se tantus non esset. Politici actus dignitatem non decet, quidquid superfluit aut deficit in sermone: & à Principe præsertim, oracula expectantur, non verba. Quare nec illud diligentia simul ac temporis compendium sperni debet, quo instituit recitare omnia: ne periculum memoria adiret, aut in ediscendo tempus absumeret. Notari omnino hæc à nobis debuerunt, ut promptam, sed cautam; profluentem, sed non diffluentem; Principis denique tot rebus intenti, non otiosi Sophistæ eloquentiam, amplius & propius inspiciendam meminimus.

XXVI. Sicut autem Principi maxime judicavit Tacitus convenire Augusti eloquentiam: ita Tiberio quoque, licet formam orationis longe diversam secuto, non adimit laudem eloquentis Principis. Nam & hic, inquit, artem callebat, qua verba expenderet,

tum

rum validus sensibus, aut consulto ambiguus. oratio sequitur hominum naturam: & Tiberium, indole atque consuetudine cunctabundum, profundum in se reductum, sui obtegentem, simulatorem, non alia magis eloquentia decuit. Etiam ætatis rationem habet, in reputatione hujus exempli, *Lipsius*: ut & negotiorum, quæ interdum more Tiberiano tractari desiderant. Certe auctoritatem habent verba sensu tincta, orationis virtus altis nixa radicibus, & sententiæ penetrantes, & nihil invalidum, aut remissum.

*Not. ad 1.
polit. 10.*

XXVII. Sed quid ambiguo sermone fiet, quem antea à Politici eloquentia plurimum abesse iussimus? Primum non præteriri debet posita à Tacito nota, cum Tiberium, *consulto* ambiguum vocat. Ergo non incidit in obscuritatem quandam, ignoratione aut vitio eruditionis, sed nonnunquam ultro tale genus sententiarum elegit. In studio sane eloquentiæ negari non potest, quin aliquando *affectedatione & morositate nimia obscuravit stilum, ut ex tempore quam à cura præstantior haberetur.* quo nomine etiam ab Augusto subinde reprehensus est, cum *obsoletas & reconditas voces aucuparetur*: sicut ex *Tranquillo* discimus. Sed hanc morositatem mitigavit ratio & ætas, & usus publicarum curarum, successitq; valida illa, & altiori genio imbuta eloquentia, in qua quidquid ambiguum fuit, proposito & consilio interiori debetur. id quod porro notandum est. *Consulto ambigua* fuit Tiberii eloquentia, quia Rationi status, quam vocant, alte involuta & implicita fuit. De qua re, totoque usu ambigui sermonis in politicis negotiis, non repeto nunc, quæ alibi scripsimus. Datur talis oratio, ut sub exemplo loquamur, Philippo II. Hispan. Regi: nec alia potius conveniet tanti Principis ingenio, & prudentiæ in alto recessu constitutæ. Præcipue autem notaverim *ambiguitatem*, de qua *Tacitus* loquitur, & cuius passim in Principatu Tiberiano specimen ponit, *proprie non orationis esse obscuritatem*; per ea provenientem, quibus perspicuitas sermonis impeditur: Sed *rerum occultationem*, cum, quamvis dilucidis verbis, aliquid ex negotio ipso subtrahitur, forma non sua proponitur, parum conciliatur, aut quovis modo immutatur. Si quæ superest vitii suspicio, pona suadeo in eo vitii genere, quod cum aliis vitio detur, certas personas ultro decet, & in argumentum commendationis transit.

*Suet. Tib.
70. & Aug.
86.*

*Annot. ad
Tac. 1. A. 7.
& 11.*

XXVIII. De Caligula & Claudio ita pergit Tacitus notare: *Politiam C. Casarum turbata mens vim dicendi non corrumpit. Nec in Claudio, quotiens meditata differeret, eloquentiam requireres.* Et in Caligulae quidem eloquentia, praecipue huc pertinet & dictioni politicae maxime convenit, quod refert Suetonius, eum a leniore & comitiorum scribendi genere, adeo abhorruisse, ut ne Seneca quidem veniam daret. Habet id iudicium de Seneca, aliquid malignitatis, qua erga alios quoque Scriptores usus est: de cetero tamen arguit studium civilioris & virilioris eloquentiae, ex disciplina aulae Romanae haustum, cui Augustus, ut praediximus, hanc legem commendaverat. Etiam promittitudinem ei tribuit Suetonius: *quantumvis, inquit, facundus & promptus.* Qua de re antea in virtutibus orationis politicae mentionem fecimus. Claudii eloquentia ad meditata & laborata opera restringitur: in quibus ipsis tamen, non *ineleganter* quidem, sed subinde *inepte* versatus est: id est, plus eruditionis, quam prudentiae (sine qua politica eloquentia nulla est) ostendit. Usitate autem & plerumque *sermonis rerumque tantam negligentiam ostendit, ut nec quis, nec inter quos, quove tempore ac loco verba faceret, scire ac cogitare existimaretur.*

Calig. 53.

cap. 34.

Suet. Claud
41.

Indid. 40.

XXIX. Interim non defecit oratio ad exprimenda, quae vellet. Id quod Tacitus, sive potius, apud Tacitum, Prudentiores & Politici viri in Principe requirunt. Seniores enim illi, quibus otiosum erat vetera & praesentia contendere, non sunt vulgaris vel conditionis vel ingenii homines: Sed diligentes reipublicae speculatores, quales hodie interdum, honorifice usurpato vocabulo *curiosos* dicunt. Hi de novo Principe iudicabant ex prioribus exemplis: neque decorum Neroni existimabant, quod studiis parum ad res gerendas facientibus, vividum animum & aetatem suam occupasset, eloquentiae autem studia adeo neglexisset, ut *aliena facundia*, cum in publico loquendum esset egeret. Sed quod ab initio reprehensionem Prudentum incurrit, postea in genus moris aulici transit, ut pleraque Principum *orationes, edicta, iustiones, epistola, rescripta, constitutiones*, alieno non ore modo recitarentur, sed ingenio etiam formarentur. Sicut ex historiae Augustae scriptoribus, & fragmentis in iure civili R. reliquis, cuique pronum est intelligere. Atque hanc consuetudinem universi praene Principes orbis, usque

usque in hunc diem receperunt: in quorum historia & Principatu rarissime invenias exempla eloquentiæ, quæ ipsum Principem habeant auctorem. Inter causas hujus rei, negari non potest, quin etiam referenda sit, ipsius doctrinæ solidioris & ad usus civiles promptæ raritas: dum paucissimi mortalium pares & cunctas ad singulare imperium artes solent afferre, sicut alibi disputavimus. Sed cum infiniti Principis labores variis indigeant adminiculis ministeriisque, scriptura publica plerumque, tanquam opus ministris debitum, à Principe juberi potius quam administrari amat. cum præsertim auctoritatis ratio subsit, in hoc genere moris. Quamquam hic titulus non raro pro schemate & obtentu est rei, cujus indicium non equidem oratio nostra, sed publica & communis experientia facit. Manet interim verum firmumque, inter magnas & utiles Principis dotes esse, si aliena non semper opus habeat eloquentia.

Annot. 3.
 C. 5. ad cap.
 11. lib. 1. A.
 Tac. adde
 Lips. Polit.
 3. 4. 5.

XXX. Qualis porro sit ac esse debeat, vultus eloquentiæ, in orationibus Principum & scriptura publica, & quam intime is stilus cum rationibus tractandi imperii ac politicis artificiis consiliisque cohæreat, demonstravimus breviter in *Annotatis ad priora Taciti*, cum de *edicto Tiberii* Senatam convocantis, & *honora Principum oratione* ageremus. Quamvis enim in elogiis Principalis eloquentiæ, etiam *imperatoria brevitatis* à Tacito memoretur, quæ nude scilicet & absque explicatione rem proponit: tamen hæc ipsa simplicitas gaudet verborum delectu & gravitate. nec omnium negotiorum eadem est ratio: denique cum de usu rei quæritur, ipsa nos comparatio ad id ducit, quod est optimum. Drusus Principis Romani filius, milites seditiosos non feliciter alloquitur, *quanquam rudis dicendi*. Scilicet *nobilitas ingenua*, sive generosus animus facile, quæ opus erant, suggerens, pro facundia fuit. Sed eodem tempore, Germanicus magna facundia seditiosos castigat emendatque. Vespasianus quoque, Princeps consalutatus, apud milites *militariter loquitur*, absque comitu & arte, quæ tum parum tempestitiva erat: & Corbuloni, egregio Duci non defuit *magnifica oratio*, quamvis non tam eloquentia, quam *auctoritate* constaret, *quæ viro militari pro facundia fuit*. Nihilominus & Onosander in *Strategico*, & Leo in *Tacticis*, bono Duci eloquentiæ studium & usum commendant. Interim eloquentiam

Annot. 5. ad
 cap. 7. C
 ann. 7. ad
 cap. 11. lib.
 A. Tac.
 1. H. 18.

Tac. 1. A. 29.

1. A. 39. C

41.

2. H. 80.

112. A. 10.

Ones. 1. 10.

C

tiam

tiam in loco spernere, maximum eloquentis argumentum est: neque occultari facundia, nisi per artes facundia, potest.

XXXI. Redeamus ad Politici eloquentiam univérse spectatam: de qua forte cupiat aliquis quærere, an etiam hodie illius possit usus esse, qui priscis temporibus fuit. Equidem cum seculi genius inde post renatas literas, à nullo studiorum genere, plane abhorreat; injuriam, certe convicium fecerimus nostræ ætati, si rei tam utilis vel ignorantiam, vel incuriam ei tribuamus. Licet interim non possint dubitare, quibus fata studiorum paulo propius innotuerunt, observari quædam vices in propensionibus hominum, qui modo ardentius, modo remissius, denique segnius in aliquo studii genere versantur. Fieri quoque nonnunquam videmus, ut amulatio aliorum studiorum, politioribus & in alto reconditis literis, umbram & caliginem ad quoddam tempus inducat. Emergunt tamen, & in orbem suum conspectiore forma redeunt, ea vicissitudine, quæ res humanas versabit, dum homines erunt. Certe quatenus societas humanæ, & in ea civilium actionum commercia patent, eloquentia non minus, quam prudentia se ordinaria utilitate porrigit: nisi quis dememinisse queat, orationem tam esse instrumentum socialis vitæ quam rationem: atque adeo utramque summo studio excolendam esse civili vitæ deditis, inter quos præcellere cupiunt, qui Politici appellantur.

XXXII. Et de Principibus quidem, jam dictum est. In reliquis, præsertim *Consiliarii & Legati* (in quæ nomina hodie omne politicarum artium compendium conferunt) vindicant sibi eloquentiæ politicæ laudes. Rectissime fors fecerit, qui his vocabulis omnes rerum magnarum præfectos atque tractatores, comprehenderit: nam ab his præscribitur plerumque ceteræ eloquentiæ formula, quæ reliquorum ministrorum, & qui aliquam reip. partem attingunt observatione magis quam arte custodienda est. Interim Senatoriæ & consiliatrici prudentiæ proprium hoc non adjuvamentum modo, sed telum est. Est enim *Consiliarii* non suadere modo ac dicere, quid faciendum aut omittendum; Sed etiam explicare, quomodo & cur ita sentiendum decernendumque sit: an & qua ratione, id quod inchoatur, Reip. utile, aut gloriosum, temporibus accommodatum, statui & status consiliis conveniens, ceteris

teris denique melius aptiusque sit: an & quo pacto, quibus opibus artibusque effectum dari possit, quod consultatur. Hæc atque talia, etiamsi omnia ornamenta & artificia locupletandæ orationis abesse jubeas, insigni tamen opus habent eloquentia, ut explicetur natura rerum, negotiorumque forma & habitus, quatenus ad intelligendum unice requiritur. Igitur Historici, quos pragmaticos vocamus, magnarum rerum consultores non aliter fere, in theatrum producunt, quam insignibus orationibus, quibus sua consilia explicant, instructos ut omittam eorum monita, qui de *Consiliariis*, minus efficaci ratione præcepta & regulas tradiderunt. Ne longe abeamus, notum satis est, quid de præcipuo nuper rerum Gallicarum adiutore, artibus politicis instructissimo homine, *Bartholomeus Gramondus* tradat. cui hac in parte communis fama, & res pridem ipsa fidem fecerat; gravissima quæque & singularia consilia, cum primum vel absurdam vel alienam speciem haberent, prudenti facundia consultoris, omnium assensum laudemque meruisse, adeo ut pro unicis & optimis haberentur.

*G. Elverii,
Hippolyti,
de collib. Cerialianum,
Magni &c*

XXXIII. De Legatorum eloquentia eximie *Paulus Manutius*, ad celebrem tum temporis Legatum Gallicum *Joh. Monlucium* disputat. Nunc in *Oratorum*, inquit, nomine, quod eximium semper fuit, nihilo minor, atque hanc scio an etiam major, quam præscis illis temporibus, dignitas & amplitudo est. mittuntur à Regibus ad Reges, aut liberarum civitates, qui non de stulticiis agant, non de jure fundi; quarum rerum controversias qui perite & copiose disceptarunt, scimus olim habitos esse eloquentes; sed ea tractent; quæ prudenter disputata, otium gentibus constituere, dignitatem imperii conservare, terminos proferre possunt. hoc qui præstat, eum ego veteribus oratoribus non comparo solum, sed etiam antepono. Illi causis agebant, primum apud iudices sorte ductos, deinde apud eos iudices quibus de re aliena, non de sua judicantibus persuadere orator sive hoc, sive illud haud magno negotio posset. nunc agitur in consilio lectissimorum virorum: agitur iis de rebus, unde ad eos ipsos, qui judicant, maximum potest emolumentum sive damnum redundare; cum & de publica re iudicem & in publica, extra quam nihil est privata cujusque contineatur. his probare quod velis, eo majoris ingenij videtur esse, quod difficilius ab artificio capitur prudentia. Merebantur adscribi verba hominis eruditissimi, magno iudicio & elegantia verissime enuntiata: quibus (ut propter

*Prefat. in
Cic. lib. oratorios.*

pter imperitiores rursus auctoritate & quidem recenti muniamus sententiam) interpretem adjungere possumus, *Fredericum de Marse-laer*, qui *Legatum* suum sine eloquentia ne intelligi quidem vult, *disser-tatione XXV. libri prioris.*

XXXIV. In omni denique tractatione civilium nego-tiorum, nulla gens nominari potest, quin patrii saltem sermonis, fa-cundiam, pro modo ingenii, aut captu sæculi coluerit. Ne peregri-na tantum miremur, apud Germanos insignis prorsus eloquentia politica, studio virorum republ. tractantium, cum fastigio rerum Germanicarum, usque ad fastigium effloruit: neque profecto, ex quo imperii Germanici majestas increvit, defuerunt rebus publicis ac Principibus gravissima ingenia, quæ linguam patriam præsertim à propioribus sæculis, puro, eleganti, magifico sermone instrue- rent. Sicut publica temporum acta, & monumenta partim sub- inde vulgata, partim in tabulariis & Archivis asservata, lo- cupletissime testari possunt. Itaque sicut rectissime faciunt, qui confusionem sermonis, & in vecta immodice ac parum feliciter hoc ipso sæculo, peregrina emblemata, abominantur: ita restitutionis & emendationis auspiciis non aliunde melius peti aut justius po- test, quam ab exemplis, quæ laudavimus. Sunt in manibus, præ- fertim eorum, quibus resp. sua credunt negotia ac monumenta, scri- pturæ optimæ, elegantissimæ, gravissimæ, maximeque politicæ, ine- ditæ juxta & vulgatæ. Quidquid bonarum vocum, notabilium formularum, decori contextus, deesse cuiquam perite cogitanti vi- deri potest, nihil dubito inde restitui posse. Quin etiam elanguit pridem & proscriptum est ex aulis nimium illud novitatis atq; con- fusionis studium: quod, magno impetu, sicut & Monetarium ma- lum, aliaque nonnulla, ingruere, cito & late vagari, neque ita mul- to post vanescere vidimus. Non desunt, inquam, jam graves elo- quentiæ vernaculæ auctores, inter viros Politicos; de quorum stu- dio nunc agitur.

XXXV. Quod, nescio, an secum reputent ii, qui extra Poë- sin, in novis & sæpe miris vocibus fingendis nimis secure occu- pantur, & dum Germanicis quidem vocabulis student, varias in- terim loquendi formulas, Latinæ aliisque linguis proprias, repu- gnante genio vernaculæ, & gravitate contextus invita, magno nu- mero

mero inferciunt, & tamen interim longe diversum ab eo, quod faciunt. facere videri cupiunt. Quæ dum attingo, nihil aliud quam venerationem & observantiam profiteor, tot eximiis illustribusque viris debitam, qui hoc & superioribus aliquot sæculis summa, & nunquam silenda in hoc argumento, linguæ Germanicæ peritia insignes fuerunt: ut non verear credere, nos satis amplis doctoribus instructos esse, si non negligamus ipsi aut nesciamus nostros thesauros. De cetero neminis labores aut sententias examinat aut iudicat hæc admonitio: sit per me, suum cuique pulcrum: dum modo virorum de patria præclarissime meritorum gloria, ab oblivioso silentio vindicetur. Sed & illud semel ac serio testor, me loqui de rebus ad communem & civilem vitam spectantibus: ad quas scilicet politica eloquentia pertingit. nam quid opus est ad alia nunc mentem aut manum vertere? Posteritas cuique argumentum & regula vel modestiæ vel diligentia erit. Posteris interim nemo cogitabit prudenter, nisi qui majores pie reverebitur.

XXXVI. Sicut autem hodie, sua cuique genti vernacula eloquentia excolitur: ita Latina, quæ omnibus politis nationibus quodam modo communis est, in vita politica, usuque civili, non adeo floret. Præcipua ratio ex historia imperii Romani repetenda est. cum illius incrementis celsissime floruit, & cum regnatricis Urbis majestate paria fecit Latina facundia. mutatis postea fortuna imperii & moribus, etiam fortunæ ornamenta & instrumenta cessere: donec translata in Græciam imperii sede, crebrisque in Italia consecutis vastationibus, nullus antiquæ eloquentiæ color superfuit. Qualis in republ. stilus obtinuerit, vel *Cassiodorus* nos docere potest. Etiam quæ prudenter cogitata erant, difficulter & magno molimine, interdum per ambages enuntiabantur. Quanquam ne hoc quidem sine res stetit, multoque horridiora fuerunt, quæ in alta litterarum nocte, circa negotia publica scriptis prodita habemus. Instauratis, avorum nostrorum memoria, liberalibus doctrinis, vix tamen aliquid in usu politico circa Latinam linguam mutatum est: si excipias magnos quosdam & doctos Politicos, qui interdum gravitatis & eruditionis, quæ Politicam facundiam deceret, specimina satis quidem luculenta, sed in consuetudinem & usum communem non itura, dederunt. Quamvis enim Imperii Romani reliquiis,

graves ob causas, custodia & cura Latini sermonis convenire videatur; ultra fatum tamen captumque temporum non proceditur: neque in ruderibus fulgere potest, quod proprium culminis ornamentum fuit. Accedunt notissimi hodie mores Scholarum: in quibus plurimi eorum qui vitæ pragmaticæ scopum sibi proposuerunt, neglectis autem obiter libatis ceterarum doctrinarum præfidiis, soli attendunt juri civili. Nisi quod eximia ingenia, felicitate naturæ, & cogitandi sollertia, tum gravissimorum Jctorum consilio subinde se vindicaverunt ab ista studiorum cruditate, veteris Satyrici sale non immerito perstricta. Si quis in ipsa ratione docendi nonnunquam aliqua existimet fuisse, quæ ab expedita & civili eloquentia vel abducerent, vel absterrent, forte non erraverit.

XXXVII. Sed numeremus licet inter omina felicioris sæculi (cujus spem ex quovis augurio, utinam non vane, captamus) quod Latinæ quoque eloquentiæ, ejusque civili formæ, suus honor non ubique hac tempestate negatur. Præter viros enim, qui pene antiquis comparanda scribunt, præclara passim ingenia, cum ceteris dotibus artibusque, habilem facundiam reipub. vel commendant vel destinant. Et licet universe de Eloquentia Politici, in quavis scilicet lingua, instituta hæc sit disputatio: non absurde tamen ad Latinam, quæ exempli vicem in cetera præbeat, respexerimus, in iis, quæ dicenda restant. Attigimus ante, diversam eloquentiæ civilis formam, temporum genio haud raro deberi. Et hoc voluit *Tacitus*, cum in loco, quem explicamus, Senecæ orationem amœnitate & comitu *illius temporis auribus accommodatam* judicavit. Non enim privatos modo cujusque, sed *publicos civitatis mores sequitur oratio*. sicut late & erudite disputat ipse *Seneca epistola CXIV*. Hinc gravitatem & constantiam sæculi comitatur adornata in stabilem dignitatem eloquentia: dissolutam vivendi disciplinam, fluxum & molle dicendi genus refert: curam elegantiæ, diligentiaque in agendis & tractandis negotiis, politico & exacto sermone æstimaveris. Itaque quod nostra ætate plurimis corrupta oratio placet, hinc non vane collegeris mores quoque à recto descivisse. Sed nobis nunc sermo est de rectoribus ingeniis judicisque cordatorum hominum, de quibus quæritur: qualis eloquentiæ Politicæ habitus, vel quatenus præcellit, vel quatenus merito toleratur, hodie designan-

designandus sit? Sive quæ orationis politicæ consuetudo nostris temporibus non ingrata sit?

XXXVIII. Primum ergo, nimis sollicita verborum diligentia, quæ plane nullam vocem, nisi antiquissimis & optimis auctoribus usurpatam admittit, non est nostri sæculi. Omnino enim in multis rebus cedendum consuetudini est, præsertim in appellationibus officiorum, aut formulis civilis actus, sicut in præfatione de induciis Belgicis bene disputat Baudius. Taceo, quod inter ipsos eruditos adeo non convenit, de autoritate sermonis Latini contrahenda, aut amplificanda, ut qui ab initio hujus sæculi florere, non idem senserint, cum iis, quos nunc adulto sæculo, miramur. Itaque Politico, sicut peritis Oratoribus, sæpe in oratione, magna ratio pro autoritate est. Neque sic projicitur cura munditiæ, sed temperatur. Sententiæ hodie præsertim placent agiles, subtiles, acutæ, ex addito *Cic. Or. 24.* emicantes: si modo nihil officiant claritati, facilitati, dignitati. Hinc diverso studio, & cacozeli affectato declamationum acumines, & eloquentes quæsitæ, quæ licet, Atticorum subtilitate, aures sæculi propitiare conantur. Interim tota facies orationis, publico colore tingi, & plus fiducia, quam artis; plus familiaritatis, quam apparatus habere debet. Elucebit tamen semper aliquid notabile, quod de rebus vulgaribus non vulgari sententia dictum accipiatur: ipsaque familiaris consuetudo, interiore quodam consilio, & altiore genio gubernari videbitur.

XXXIX. Mirifice etiam, & novo quodam more, ornatus translata comparataq; orationis aestimatur, si nimirum civiles, & probabiles, & inventigratiam potius quam curam aut novitatem habentes similitudines adhibeantur. Quid suavius, aut magis politicum, *Francisci Baconi de Verulamio* historia: quam potissima gratia, perpetuæ & feliciter congruenterq; translata comparationes condiunt. Hoc enim de industria exemplum nominare libet rei, quam descriptione, etiam curiosa, vix satis commendaveris. Renovatur denique antiqui moris usus, quem in Augusti vita *Tranquillus* descripsit. Is enim præcepta & exempla publice vel privatim salubria, ad verbum excerpta ex præclaris auctoribus, aut ad domesticos, aut ad exercituum provinciarumq; rectores, aut ad urbium magistratus mittebat, prout quique monitione indigerent. Ferant laudem imitationis minime servilis, qui nostra
atate

Suet. Aug. 89.

ætate, ut exempli gratia loquamur, Corn. Taciti gravissimas sententias, vel suæ orationi de negotiis civilibus, tam apte, tam decore inseruerunt, ut domi natæ viderentur: vel in respondendo, colloquendo, deliberando, gravissimarum momenta rerum, his tanquam oraculis breviter signanterque expediverunt. In utroque genere viros summos possemus nominare, si opus esset.

XL. Attulimus hactenus, quæ Eloquentiam Politici in universum, quodam modo declarare, & ab aliis dicendi generibus distinguere forsitan possunt. Superest, ut exemplis auctoribusque talis eloquentiæ laudatis; inquisitisque, quibus institere, viis; tum, quæ dicta sunt planius ostendantur, tum ratio comparandi talem facultatem in propatulo constituatur. Exemplis enim, præsertim propius inspectis & sigillatim consideratis; nullum in rebus arduis potentius discendi docendique genus est. Agemus, ut in prioribus, breviter & simpliciter, neque aliud magis, quam candorem lectoris non plane imperiti respiciemus.



DISSER-



DISSERTATIONIS DE ELOQ.
POLITICI,

Pars altera.

XLI. In constituendis Politicæ eloquentiæ exemplis, haud dubie primus debetur locus *Historicus*. Quia enim, ut ante declaratum est, omnis Eloquentia Politici debet in affectata venustate præfulgere, & ex consuetudine civilis vitæ notitiæque, fiduciam potius quam artem ostentare, nullum certe scriptionis genus nominari potest, quod plus publici coloris saporisque, ut sic dicam, referat, quam *Historia*, prudenter eleganterque composita. Ad oratorum quippe facultatem, qui Politicum vocant, illi meminisse debent, in præstantibus *Historicis*, non dicam, oratoriam vim reperiri (quamvis id dici potest, & à veterum doctissimis dictum est) sed ex *oratoria eloquentia modum retineri*. Intellige modum, qui civilem actum decet, vitæque & rebus, non scholæ & famæ, mensuram sui operis accommodat.

XLII. Tales in Latinis (quorum, ratione instituti, præcipue faciendæ est mentio) non habemus multos. Dicemus hac occasione de singulis aliquid. Quamvis enim Bonorum Auctorum nomina, toties jam commendata inter eruditos, ad decus & usum sui abunde valeant, nemo tamen debet vitio nobis vertere, si quædam huc propius spectantia, ex ampla profunda que materie repetamus. Sequemur autem temporis ordinem, facilimum scilicet in hoc negotio & commodissimum.

XLIII. Primi nobis offeruntur *C. Iulius Cæsar*, & *Corn. Nepos*. Quos forte sufficit nominare: nam de *Cæsare*, antea dictum est: & *Nepotem* jam tertio, à nobis editum, alibi commendavimus. nisi quod neuter horum satis unquam laudari potest; præsertim ob sæculi nostri consuetudinem, quo plerisque alia omnia facilius placent, quam id, quod in *Cæsare* & *Nepote* præcipuum judicant. Sed *Nepotis*
D
quidem

quidem magis exposita dulcedo & gratia est: omnis enim ejus scriptio in moribus explicandis, quæque laudi aut vitio dari merentur, enarrandis, sententiarum civilitate & similitudine, exemplorum quoque jucunda varietate & celebritate lectorem allicit: ipsaque dictio, quamvis simplicitati studere videatur, delectu verborum, compositione, sensu, statim aliquid suæ suavitatis, etiam non æstimantibus aut intelligentibus, insinuat. Dabimus hunc auctorem *Locorum communium*, quos vulgo vocant: ad quos respiciat, civilis eloquentiæ studiosus, quotiens mores hominum, publica & privata consuetudo vitæ, quadam subtili elegantia, non citra gravitatem & auctoritatem utentis, notari desiderant.

XLIV. *Julius Cæsar* contextu historiæ, quam ejusmodi locis morum, nobilior, monstrare potest, qualis in exponendo esse possit vel debeat viri civilis oratio, ad eum modum, quem supra laudavimus. Unum illud repeto, qui maturius & in juvenilibus annis delectari potest lectione Cæsaris, illius ingenium rectum, stabile, & in practico genere, sicut loqui solemus, non vulgaris notæ existimaverim. Qui sero, sed tamen serio tantum Auctorem amabit, argumentum profectus, & judicii ad liquidum emerit, sic quoque id habebit. Cui semper vilis videbitur Cæsar, etiam in comparatione maximorum scriptorum, is sciat licet, se vel aliud agere, vel à vera ratione judicandi negotia vitæ, multum abesse.

XLV. *Sallustii* proxima ætas est. De quo in utramque partem apud veteres, magnifice & acerbe existimatum, constat: evenitque, ut quodam quasi fato, ne juniorum quidem judicia, vel inter se, vel cum veteribus, in definienda dictionis Sallustianæ forma, congruerent. Esse quiddam in stilo hujus Auctoris profunda cura reconditum, quodque non eandem sui æstimationem, sic vel aliter intuentibus suggerat, id vero apertum est. Magno consensu veterum doctissimi. *Brevitatem Sallustij*, commendant, quam tamen adimunt ei celeberrima propioris ævi nomina, *Saligeri*, *Gruteri*, alique. Sed ut opinor, alia sunt ac diversa, ad quæ respiciunt illi & isti: possitque eodem genere dubitandi *Thücydidi* quoque brevitatem abjudicare.

XLVI. Magis ad rem facit, quod antiquarius audit *Sallustius*: cujus exemplum non parum sæculo vult nocuisse, *Seneca*, qui, *Sallustia* vigente, inquit, *amputata sententia, & verba ante expectatum cadentia, &*

ria, & obscura brevitatis, fuere pro cultu. Et præcesserat: vitia unus aliquis inducit: ceteri imitantur, & alter alteri tradunt. Postea obsoletas locutiones Sallustianas nominatim reprehendit. neque dissimulat tamen, imitatores, exempli, quod sibi proposuerunt, modum excessisse, eaque, in quæ Sallustius rarius inciderit, pro virtutibus arripuisse, magnoque studio frequentasse. Itaque nullo modo debemus, cum de eloquentia Politici quaeritur, negligere iudicium eloquentissimi Principis Augusti, qui Antonium eo nomine reprehendit, quasi utentem verbis, quæ Sallustius ex Originibus Catonis excerpserat. Non minus enim antiquarios, quam cacozelos, ab instituto civilis orationis abluere iudicabat. Suaserim autem omnino, sicuti sæpius jam dictum est, ut in omni eloquentia politica fiat, quod in Historia scribenda faciendum esse, Asinio Pollioni suavit Attæius Philologus. de quo Suetonius: Quo magis miror, Asinium Pollionem credidisse, Philologum antiqua verba & figuras solitum esse, colligere Sallustio, cum sibi sciat nil aliud suadere, quam ut noto civilique & proprio sermone utatur, vitetque maxime obscuritatem Sallustii, & audaciam in translationibus.

Suet. Aug.
86.

in Gramm.
illustr.

XLVII. Sunt equidem nonnulli, qui nostro sæculo sufficere credunt debere, auctoritatem solam veterum scriptorum, ut satis politicum sit videli. et, quidquid eorum nomine exemploque præscribitur. Neque nobis sane fas fuerit diffiteri, è Sallustio multum posse mutuari orationem politicam, si modo meminerimus, alia exempli causa imitantibus, alia eruditis adulto jam profectu, in varios usus suppeditari. Sallustiana dictio vult iudicari, quod non est tyrocinii; & eligi, quod non est cuiusvis ingenii. Cum iudicium & electio accesserit, Gravitate orationis civilis, quoties illi serviendum est, figuris & sententiis propriis, ut dicam, instruet Sallustius.

XLVIII. Hunc consecutus est Livius eloquentissimus Auctor, vel Tacito nostro teste; quem si omnis politicæ eloquentiæ promptuarium credideris, à vero nil alienum putabis. Hunc Herodoto æquavit Fabius, quamquam in nonnullis forte præferri mereatur; cum in narrando miræ iucunditatis, clarissimique candoris, tum in concionibus supra quam enarrari potest, eloquens: ita dicuntur omnia cum rebus tum personis accommodata: sed affectus quidem, præcipue eos qui sunt dulciores, ut parcissime dicatur, nemo historicorum commendavit magis. ut absolvamus verbis Fabii, quod cœpimus. Hic eruditi habent, quod insatiabili affectu mirentur; hic tam præsentis gratiæ vis inest, ut

Inst. Orat.
X, 1.

Inst. orat.
II, 5.

animos interiore disciplina non imbutos, tamen rapiat teneatque. Hic omnis ætas invenit, quod amet. itaque à pueris magis hunc legi vult Fabius, quum Sallustium. scilicet, ut puerilis ætas splendorem Livii affectu naturali appetat; maturitas virilis, sensu erudito æstimet; provectior ætas, utriusque generis disciplinam electissimo iudicio pensitet atque commentetur.

Quintil.
Inst. Orat.
VIII, 3.

XLIX. Notatur quidem μακρολογία id est, longioris, quam oporteat, sermonis, cum libro VIII. scribit: *Legati non impetrata pace, retro domum, unde venerant, abierunt.* Sed longe differt interdum sensus scribentis, à legente: atq; sicut magistris dicendi solenne est, omnia ad regulas artis, usque ad minutias revocare: ita Scriptores, de industria, à præceptis, cum ratione, ad fiduciam & securitatem quandam sua studia referunt. Nec deesset forte ratio, quæ in ostenso exemplo satis defensum daret auctorem, si quis id vellet agere. Ne dicam (quod supra dictum est) ad venustatem totius orationis vix pertinere, si capillus non prorsus ad leges geometricas sit repositus. Si quis porro velit hodie *Patavinam* Livii cum Asinio Pollione, quasi ex abdito refodere, is nodum in scirpo quærat, arbitror. Fortassis interim delicatior s. limatq; iudicii Politicus, etiamsi totum probet ametque Livium non omnes periodorum structuras, mensurasque, interdum suo proposito existimabit conducere.

L. Inter Historicos sane, à nemine sibi plus adjumenti potest promittere eloquentia politica, quam à Livio, & Curtio, quem statim adjungam. Si ut enim, posterior Livio Curtius, Vespasiani demum ævo, ut videtur, vixit: ita optimi ævi scriptoribus æquari & fortasse omnibus Historicis quodammodo anteferri potest. Magnificentior Livii, Sallustii gravior, Taciti profundior oratio; Curtii his omnibus suavior, tersior, accuratior est. Quod in moribus Livio tribuit Fabius, multo magis Curtio convenit. electissima ejus verba; civiles & aptæ sententiæ: expositio mirifica, conciones expedita facundia instructe; materiem suam non magis promte implet oratio. ubi opus est; quam è pleno, prout decet, dispensat. Atque in his omnibus, cum nihil ad laudem perfecti Rhetoris desit, magis tamen extare videntur, quæ libentius, ad πολιτικόν, ut appellant, retuleris.

LI. Livius eloquentiã suam prolixius & liberalius, vel amare, vel imitari volentibus offert: Curtius haud paulo accuratior, æquabile politicissimi stili temperamentū, non simul & semel, sed post iteratam

ratam sæpius lectionem, attentis demum intentisq; commendat. Livius magnanimo quodam plenus candore; ex porrecta suavitate invitatur simul & admittit lectorem: Curtius per quædam admissionis mysteria, & gradus in familiaritatem adhibet erudita & decora ingenia; obvia tamen sic quoque & exposita humanitate, statim idoneus amari, non enim abstrudit gratiarum suarum irritamenta, sed disponit: & cum primo aspectu placeat, hoc pretio vult placere, ut æstimetur.

LII. Seorsum laudari meretur, quod non minus utilem, quam subtilem observationem habet. Rerum aulicarum elegantiam, ipsius aulæ genium, figuras, vultum, nemo vel apposite magis, vel magis ex decreto expressit. Unus est Curtius, qui delicatissimo Aulicorum iudicio, votoque, potest satisfacere, in eloquendis convenientissime rebus, quibus actio & usus aularum gratiam formamque ex ingenio suo, non tam ut intelligatur publice, quam ut vigeat intime, ac semper deceat, indidit. Quantum sit in hac arcana parte disciplinæ Curtianæ, non fugiet lectores, qui ingenii profectusque dexteritate, qua par est, notitiam Auctoris tam accurati ambiverint sibi que conciliaverint. Ad plurimos interim, qui sibi multum sapere videntur, ne suspicio quidem ejus rei pervenit, quam commendamus.

LIII. Velleius quoque, ævi Tiberiani scriptor, ex iis est, qui stilo politico, singularis cujusdam gratiæ & jucunditatis genium, studuerunt conciliare. Sed plus habet ex quæsito: cum Curtius absque suspicione & specie talis propositi exquisitus sit. Est tamen Velleius in eo felicissime diligens, quod studium suum absque omni fastidio, & ineptiis, lectoris iudicio & favori summa cum voluptate approbat. Verum de hoc satis dictum est in oratione, quam de Historia Vellei publicavimus.

LIV. Scripsit eadem ætate Valerius Maximus, à cujus lectione multorum animos alienavit, quod in limine statim objicitur, *mea parvitas*: Sed nimirum ita jam incipiebant. studio humilis reverentiæ erga Principes loqui sicut Velleius de se; *mea mediocritas*, inquit. Cetera ingenio ejus, non ævo tribuenda sunt. ingenio enim usus est ad res colorandas pronior; cuique nihil sine figura, & invento placeret. Hinc sententiosum scribendi genus & quæsitum acumen, & captata ex quavis occasione novitas. In quibus rebus con-

sectandis, nolim sane orationem Politici, liberalius sibi indulgere: reperiet tamen in hoc exemplo ubiq; quod levi flexu, ad simplicioris venustatis habitum decore transduci possit. In verbis interim, plus Latini sermonis latet, quam pleriq; animadvertunt. Quare ne ab emendatę quidem orationis studioso, si profectu aliquo & iudicio fuerit instructus, eum plane removendum censuerim: ne dicam, hanc quasi *materiam iudicandi censendique ὄλην κερικὴν*, uberi & comoda disciplina posse demonstrare, quid feliciter aut secus à graviore venustatis genio, & puriore eloquentiæ forma deflexum paulatim sit atque immutatum. Ita enim ab it aliquando à melioribus exemplis, ut eorum peritiam ostentet, & amorem profiteatur.

L V. Proximus, quanquam satis magno temporis intervallo, inter superstites Historicos, est *Cornelius Tacitus*. cuius prudentia sicut consensu hominum temporumque deprædicata est: ita facundiam non potuerunt capere aut iudicare, qui in penetralia hujus studii, vere subtilis & reconditi, non rite sunt ac ordine admissi. Quo nomine, merito reprehenduntur insignes quidam viri, *in utilissimo Vossij Illius de Latinis Historicis opere*. Sed mirari satis non possis, reperiri hodieque, qui *Tacitum* corrupendæ Latinæ dictioni natum, asseverare non vereantur. Nescio an hic dicam, quod sæpius mihi videor animadvertere; viros etiam eruditos, & harum litterarum scientiam professos, non pari studio in Auctoribus tractandis versari; sed nonnullis quidem mentem ac operam serio impendere, in aliis haud pari diligentia, neque iudicio tam liquido, sæpe ne absque fastidio quidem, ut præconcepta alibi movet adfectio, versari. Hinc est, quod contemni nonnunquam vidimus, quæcunque non quidem à recto, sed à formula exempli, quod sibi quisque amandum delegit, abeunt.

L VI. Equidem si Latinum non est, quicquid à genere dicendi Ciceroniano est diversum, vincant sibi quidquid volunt, & quærant sæculum, ac orbem, in quo una tantum orationis forma obtineat placeatque. Certe ex Cicerone, hoc nemo didicerit, qui scripta ejus legit. Posset aliquis, si institutum pateretur, ex solo Cicerone ad omnia, quæ Taciti stilus habet, insignes commendationes annotare. adeo non odit Cicero Atticam illam subtilitatem, aut natas ex abdito sententias, & novata decore vetera vocabula, & verba sensu tincta, quæque sunt id genus alia. Deniq; quæ in aliis, tum
Græcis,

Græcis, tum in Latinorum imitatione, tam ingenue & liberaliter passim judicat commendatque, haud dubie in Tacito, si contigisset iis, per diversæ ætatis intercapedinem, nocere invicem & nosci, accuratissime probasset laudassetque: & fortasse hunc solum posuisset, qui rotundam Græcorum subtilitatem, pari ingenio successuque ad Latinos transtulerit.

LVII. Commendatus esset procul dubio elegantissime, etiam *Instit. Orat. X, I.* à Fabio Quintiliano, tum inter oratores tum in historia: nisi virum memoria sæculorum dignissimum, posteris laudandum, ex instituto sui operis, in quo vivorum prædicatione abstinuit, relinquere statuisset. Extant tamen sic quoque illustria, nobilissimorum Auctorum de Tacito testimonia: quæ cur debeant post ferri hodiernis censuris, nulla excogitari idonea ratio poterit.

LVIII. Non injuria quoque forte dubitaveris, an immanes illi censores, unquam satis observaverint, quam diligens imitator fuerit Tacitus optimorum & Auctorum & operum. Vix enim dici potest, quantum ex optimi ævi eloquentia, reconditæ eruditionis, & tersissimæ Latinitatis, expresserit hic scriptor. Certe de novitate & insolentia stili, hæctenus non videtur ei lis mota esse, ut arbitretur, facilius ævo quo vixit ei objici potuisse, quod Plinio objectum est, non esse eum contentum eloquentia sæculi sui, sed ad antiquorum exempla studiosius recurrere.

LIX. At enim non servavit totam illam formam ætatis aureæ. Possis respondere, ne illo quidem ævo unicam fuisse notam dictionis; neque omnibus diffusam, aut explanatum, sed jam tum, non paucis adstrictum pressumque orationis genus probatum esse. Sed quoniam insecutis temporibus, sub imperio singulari Cæsarum, magis magisque placere cœpit Attica illa brevitatis & pressa gravitas, pars eruditionis & prudentiæ fuit, genium sæculi quodam modo propitiare quod Tacitus ita præstitit, ut & Senecæ conatum, & Pliniorum dexteritatem, veluti naturali quodam bono vicerit.

LX. Habet sane aliquid proprium & suum, sed quod naturam potius & habitum animi, & altioris prudentiæ genium, quam curam & artem referre videatur, adeo congruunt omnia æquabiliter, & respondent invicem apte, & pulcre decent. Quæ sola res, supra invidiam censuræ atrocioris Tacitum collocare debuit. De cetero, fruatur suo sensu auspicioque, quantum lubet, qui in carmine

mine tantum habere locum, neque ad Taciti stilum notandum adhiberi posse contendat, quod *Horatius* iudicavit:

Dixeris egregie, notum si callida verbum

Reddidit junctura novum: si forte necesse est,

Indiciis monstrare recentibus abdita rerum.

Fingere cincturis non exaudit a Cethegis

Continget, dabiturque licentia sumpta pudenter.

Et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, si

Græco fonte cadent, parce detorta.

Quod primum posuit, in Tacito perpetuum est, & singulare. Quantum etiam, & quam decore, Græcis acceptum dictio ejus referat, non nisi eruditæ æstimationis est.

LXI. Præcipuum quod caliginem & insolentiam offundit plerisque, sunt figuræ subterfugii, detractio & *εμφάσις*, ut nunc Rhetorum vocabulis utamur. Hæ in Tacito crebriores, & ad peculiarem quendam gravitatis modum accommodatæ; quæ minus exercitatis obscuritas videtur. De hac conqueruntur, & abrupta omnia & inaccessa clamant cum plerumque unius voculæ adjectione & supplemento, omnia plana & expedita dari possint: id quod in elegantissima sua *Paraphrasi* subinde demonstravit amplissimus noster *Freinshemius*.

LXII. Sed relinquatur, opinor, Tacito, quod alios non æque decuerit: neque discedat à lege sui operis, studiosus eloquentiæ civilis, quantum ad perspicuam & planam facilitatem attinet. dum modo non ignoret, quicquid habet Tacitus vel electum verbis, vel grave sententiis, posse sine ullo negotio ad rationem dicendi apertissimam planissimamq; transferri, ab eo, qui probe intellexerit tantum Scriptorem (intelligunt autem oppido pauci) & in aliqua dictionis forma semel sibi constiterit. Cui hæc præsidia abfuerint, is potius alios videtur debere auctores sequi.

LXIII. Verum de Tacito plus satis. Ad cuius ævum, etiam *Florus* pertinet, is qui quatuor rerum Romanarum libros scripsit.

19. de C. D. Hic inter eos reponendus est, qui, iudice *Augustino*, non tam narrare
19. bella Romana, quam Romanum imperium laudare instituerunt. cui pro-

lib. 1. c. 30. posito stilus quoque respondet, in historia declamatorius, ac poetico propior, sicut amplius de eo pronuntiat *Vossius* in opere de Latinis Historicis.

Recte etiam *Barthius Flori*, inquit, *Epitoma rerum Romanarum quidem*

Panegy.

Panegyricus est. Omnia sane Panegyristarum inventa, artificia, acumina, plerumque non infeliciter captat. Itaque, quis ejus in eloquentia civili usus esse possit, cognoscetur ex iis, quæ de oratoribus & Panegyristis dicentur.

LXIV. *Suetonium* non ita pridem laudavimus, cum à nobis, instituto, quo tum diximus, ederetur. Illa huc repetere, nihil attinet. In transitu tantum monemus; causas nec leves, nec unas esse, cur à politicæ & prudentiæ & eloquentiæ studiosis, valde amari debeat ille Scriptor: non quidem ad tractandi gravitatem, sed ad exprimendi subtilitatem mirifice accommodatus. In delectu sane verborum ad civilem communemq; sensum, civiliter, non vulgariter propitiandum, semper aliquid ex armario Suetonii licuerit depromere, quod absque omni ostentatione efficaciam, & decorum & efficax sit.

LXV. Quid de *Iustino* dicemus, qui Trogi epitomem fecit? Qui eloquentiam penitus scrutantur, haurire possunt inde aliquid, è melioris sæculi litteratura. Fortasse enim in plurimis non minus Trogum exscribit, quam Xiphilinus Dionem. Si candide & citra morosam censuram agendum est, non video, quid repudiare in eo possit nostri sæculi Politicus, vel in verbis, vel in sententiis, quatenus expositioni rerum serviendum est. nam elegantiam contexendæ orationis, aut ornandi argumenti, aliunde rectius forte petiveris.

LXVI. Hinc à Diocletiani temporibus nova petenda sunt initia. ubi invenimus sane scriptores ad prudentiam potius, & notitiam rerum, quam ad eloquentiæ studia utiles, si quidem eloquentiam vere Latinam, puramq; querimus. Sed, quia nostro sæculo, ipsiq; rerum civilium tractationi, aliquid indulgendum est, sicut & ante diximus, & postea monebimus iterum, nolim ab Eloquentiæ civilis studio negligi, *Spartianum, Vulcatium Gallicanum, Trebellium, Capitolinum, Lampridium, Vopiscum*, qui Augustorum vitas in litteras retulere: dissimili quidem diligentia, stilo quoque non eodem (sicut *Trebellium* & *Vopiscum* cum ceteris conferre volentibus ultro parebit) non multum tamen dispares, in eo, quod *ditionis genus sapius commune cum antiquis Iureconsultis* habent quod *tot Principum pulcherrimas epistolas, tot gravissima Senatus consulta, tot alia publica monumenta, è scriniis Augustorum, actis Senatus & Populi, & nescio unde ex abdito eruta complectuntur.* Merito enim, quo nomine universe eos commendat *Is. Casaubonus*, nostro instituto applicamus.

*Prefat. ad
illos Script.*

E

LXVII.

LXVII. Et quoniam hujus rei facta est mentio, non distulerim de Historicis quibusdam judicium ponere, ad præsentis vitæ usus & actum civilis vitæ potius, quam ad placita rhetorum & delicatas nonnullorum aures accommodatum. Ego illos Historicos, qui operibus suis inserunt totas formulas, & acta curiæ, totas, sicut te vera in actu iplo conceptæ usurpatæq; sunt, orationes, epistolas, consultationes, arbitror, facere quidem rem, proposito eloquentiæ ostentandæ, & artis historiciæ regulis, magnorumq; Auctorum, qui omnia sua voluerunt *αὐτοτελείωται* esse exemplis alienam, sed civilis prudentiæ eloquentiæq; studiosis perutilem. Nam, qui invertunt illa, omniaq; suo stilo formant finguntque, sicut alio nomine laudem merentur (modo non desit facultas oratoria, quæ in historico ejus generis unice necessaria est) ita exterius illud schema publici actus sermonisq;, cujus tamen peritia observantiaq; censeri plerumque omnia solent non usque adeo representant.

LXVIII. Hæc dum scribo, palam est, mihi non esse sermonem de magnis illis & decoris ingeniis veterum, quæ omnem civilem scenam eo habitu instruere potuerunt, qui esset optimus, aptissimus, perfectissimus; & unde exempla peti omni tractationis, è rep. generis humani esset. Sed primum existimo, multos, qui impare facundia & ingenio minus pollente, historias aggressi sunt, rectius & publice utilius fuisse facturos, si pleraque formalis actus, ut nunc ita loquar, ex tabulis potius publicis ad verbum descripsissent quam suis calamistris ea inurere aut vix eluctanti descriptione detererent tentassent. Deinde diversa magnorum quoque ingeniorum proposita, scribendique genera, mutua contentione non obtrectare sibi invicem volo, sed distingui, & nosci, sua cuique laude salva, & utilitate utriusque generis declarata.

LXIX. *Aurelii Victores*, diversorum illi quidem temporum scriptores: tum *Entropius*, itemq; *Sextus Rufus*, in honorem argumenti potius, quam studio eloquentiæ cognoscendi sunt. Ex *Victoribus* alter, *Taciti* locutiones quasdam & sententias studiose affectavit: forte tamē, infra successum eruditæ imitationis. Nostro certe instituto non convenerit, illis operibus considerandis operam navare. Nam quod *Victoris viri illustres*, pueritiæ inter prima rudimenta Latini sermonis; propter miram simplicitatem & facilitatem, interdum commendantur, ad argumentum nostrum parum pertinet.

LXX. De Ammiano Marcellino potius aliquis dubitaverit. Sicut enim dictio ejus à pura Latinitate non parum recessit: ita suo quodam genere loquendi, rerum abdita, & negotiorum naturas diligenter consequitur. Non potest quidem, quod prudenter intelligit, civiliter & venuste eloqui: sed ostendit tamen eximie, sibi inesse talis doctrinæ elementa, si vel sæculi facundioris exemplo, vel maturiore disciplina licuisset uti viro, plerumque in militia & negotiorum actu versanti. Certe, compositioris eloquentiæ studioso, sæpe potest suggerere cogitationes & sententias, orationi civili profuturas; & simul admonere de iis, quæ magis ad *Orat. de IV* & scenam recitatorum, quam ad civilem habitum pertinent. Placuisse eum valde suo ævo, vel Libanii epistola de eo & ad eum docere potest.

LXXI. In summam adhiberi fortasse Quintiliani judicium debet: *Paucos, inquit, vel potius vix ullum ex iis, qui vetustatem pertulerunt, existimo posse reperiri, qui iudicium adhibentibus non allaturus sit utilitatis aliquid, cum Cicero ab illis quoque vetustissimis auctoribus, ingeniosis quidem sed arte carentibus, plurimum se fateatur adjutum. Nec multo aliter de nobis (nostri nempe ævi scriptoribus) sentio. Quotus enim quisque inveniri tam demens potest, qui ne minima quidem alicujus certe fiducia partis memoriam posteritatis speraverit? qui si quis est, inter primos statim versus deprehendetur, & citius nos dimittet, quam ut eius nobis magno temporis detrimento constet experimentum. sed non quidquid, ad aliquam partem scientiæ pertinet, protinus ad faciendam etiam *Orat. de IV* de qua loquimur, accommodatum est.*

LXXII. Hac observatione non modo in iis ætatibus, quarum hætenus mentio facta est, sed in sequentibus etiam, usque ad proxima tempora, sæculis, uti licebit. Nostrum enim non est percurrere nomina & tempora Historicorum, quæ tum *Vossiano opere*, tum aliis eius generis monumentis sunt annotata cum præsertim oppido pauci, imo vix ullus reperiatur Historicus, qui melioris ævi exemplique eloquentiam vere & dextre expresserit.

LXXIII. Post instauratas ex barbarie litteras, avorum & patrum memoria, inventi sunt sane aliqui, quorum in historia neque prudentiam, neque eloquentiam merito desideres. Sed hos enumerare, non est nostri instituti. Sicut nec ea ingenia, quæ pæne oculis in hærent, & vel nuper floruerunt, vel adhuc supersunt, & nostræ ætatis exornant gloriam, nominatim attingi oportere arbitramur.

mur. Nisi quod postea univēse de legendis Junioribus aliquid monendum erit.

LXXIV. In veteribus exemplis, quæ nunc sectamur, ne sapius partiendum sit, conjungemus, quicunque in soluto sermone, orationes, disputationes & doctrinas, epistolas, aliaque id genus scripserunt. Ante *Ciceronem* ergo neminem appellare possumus: hic ut omnis eloquentiæ Romanæ, ita civilis quoque hujus formæ conditor suo jure celebratur. Quod si enim quæras, quanam *Ciceronis* opera, eloquentiam Politici maxime instruant, omnia certe, omnia hoc nomine oportebit commendari. Quidquid capit vitæ civilis tractatio, & negotiorum usus, in his voluminibus πολιτικῶν τετα vel exprimitur, vel differitur.

LXXV. Sciat utique, se profecisse in eloquentia politica non parum, cui *Cicero* in hos usus se commodum præbere & familiarem potest. Distinguit tamen ipse suas curas, & quibusdam plus ait civilis formæ inesse, aliis alium, ex rebus habitum dari: sicut prior dissertationis parte annotavimus. Orationes certe forenses, ad fori consuetudinem, & strepitum, ad populi naturam, & aures concionis, in multis exigi desiderant. Aliter facundum os dignitati & subtilitati curiæ accommodavit.

LXXVI. Incomparabilis utrobique Orator: cujus imitationem paucissimi hodie, ex iis, qui videntur orationes politicas scribere, sibi proponunt: plures affectatis sententiis, & florido figurarum genere Panegyricas orationes, imitando deterunt deperduntque. Sed *Panegyristæ* quidem suus locus in iis orationibus, quæ non tam rerum tractationi, quam exterioris scenæ celebritati, & pompæ, voluptatiq; destinantur: ita tamen, ut meminerimus, *Pliniani Panegyristæ*, incomparabilem facundiam, aliquid suæ virtutis gratiarumq; in omnium quidem animos immittere, paucorum tamen calamo attingi posse; ceteros *Panegyristas* veteres habere multa, quæ non sine periculo mutuari instituerit Orator Politicus.

LXXVII. Mihi, cum in lectione eorum versarer, *Plinius* hanc sui æstimationem conciliavit, ut crederem, recte ejus imitatione usurum, qui non nimis uteretur: id est, qui ex gravitate & subtilitate, *Plinio* propria & singulari & unica, retineret modum, quem cuique ingenii sui doctrinæq; ac stili modus definit. In *Mamertino*, *Nazario*, *Eumenio*, *Latino Pacato*, & reliquis jucundum erat animadvertere,

vertere, in pari pæne imitandi studio, successum disparem. Audebam etiam, jam tum notare, quæ pro ingeniorum aut temporum captu, imitando in obliquum deflexa, aut declamatorie picta, aut à civili rectitudine, quomodocunq; essent immutata hæc si pro virtutibus stili oratorii placerent, deprehendebam quasi in ortu suo, emergentem Latine scribendi consuetudinem, quæ in corruptissimam formam, dum semper à fonte longius disceditur, nec à rivis hausta rivos saltem bona fide referunt, denique ematuresceret.

LXXVIII. Interim his quoq; oratoribus, præterquam quod sapientia civili quodam modo redundant, tam feliciter in stilo multa successerunt, ut vel *Plinium* aliquem deceant. Atque, dum delicatum quiddam & electum semper cogitabant, non potuit non, ut fallax, fugaxque, deprehendi aliquando Genius ille gratiarum, qui accuratissimam sui partem civilibus orationibus gratificari potest. Hæc qui satis, ingenio doctrinaque discernit, debeat forte illis Pannegyristis non contemnendam accessionem eloquentiæ civilis: sed in argumentis, quæ diximus.

LXXIX. In materia leniore, ut sic dicam, & in negotiorum assiduitate, habilis in omnia & expeditus Politici stili, nullum accommodatius exemplar habebit, quam *Orationes & Conciones* Historiis insertas. Antiquus ille mos fuit, *conciones regum ac ducum*, e. g. *Sueton. Domit. 10.* ex *Tito Livio circumferre*; ut prudentiæ civilis, facundiæque supellectilem, arbitror. Eo instituto, etiam proximo ævo, orationes Historicorum Græcorum Latinorumq; à *Stephano* in unum volumen conductas, impressasque novimus. Sunt enim pleræque omnes illæ orationes ejusmodi, ut absque multa cautione, absque sollicita sententiarum atque figurarum distinctione, statim & totæ civilem habitum deceant.

LXXX. Nimiis utiq; apparatus Rhetorum, & amplificata locorum structura, si vel ex *Ciceronis* orationibus quibusdam transsumatur, gratiam politicæ tractationis non ubiq; juvabit: magisque consultum aliquando erit, cetera scripta Ciceroniana *disputationes de officiis, de legibus, de natura*, in exemplum aut auxilium advocare: si præsertim delignantur sententiæ in genere morum agiliores, & diserta explicandi ratio, & contexendi facilitas.

LXXXI. Amœnitates adjunget, si societur in hos usus, *Seneca. De quo Tacitus* noster in loco, dissertationi huic præscripto,

civiliter & benigne iudicat. Ait enim, *orationem*, quam Claudius habuit, à Seneca compositam, multum cultus prætulisse: tribuitq; Senecæ ingenium amœnum, & temporis illius auribus accommodatum. Comtius scribendi genus maxime hominibus illius temporis in Seneca placuisse ex Suetonio etiam disces. Huic studio autem hominum temporumque quin sit nimium obsecutus nemo negaverit itaq; Fabius rectissime eum meliorem futurum fuisse in dicendo iudicat si aliqua contempsisset, si parum concupisset, si non omnia sua amasset, si rerum pondera minutissimis sententiis non fregisset.

Calig. 54.

Inst. orat.
X. 1.

in Iudicio
super Sen.

LXXXII. Hæc à Lipsio refutare nihil opus erat. quis enim non animadvertere potest *dulcia illa vitia*, qui Senecam attente intenteq; legit? Quare & imitatores Senecæ, periculose in deligendo exemplo, & multo magis, postquam delectum est, exprimendo versatos; sicut olim Fabius potuit queri, ita nos hodieq; comperimus. Sed quia intercedunt tantum melioribus, ista in genus quoddam cacozeliæ deflexa, de cetero autem multis eximie dictis, acute inventis, graviter expressis ubiq; abundat vir tantus, Politici orationem hac nostra ætate, quin multum possit ornare (si imitatores eligant inde modo, quod Fabius etiam voluit, non tumultuarie colligant exempla & instrumenta sui operis) in confesso esse debet. Potius contradictione opus habuerunt, quæ nonnulli apud Gellium putarunt de oratione Senecæ, tanquam *vulgari atq; protritâ*, & de eruditione, tanquam *vernacula & plebeiâ*.

LXXXIII. In *Epistolis*, magna pars eloquentiæ politicæ hodie versatur. Nam qui civilis vitæ peritiam elegantiamq; sectantur tum privati argumenti epistolas, quadam civili gratia condire student: tum de publicis negotiis, pleraque omnia, vel consuetudine civitatis, vel occasione rerum agendarum in epistolas conferunt. Atque hic, sicut verissimum est neminem Cicerone promptius, convenientiusque id muneris obire: ita *Plinii Iunioris epistola*, sæculi nostri genio amabilius blandiuntur. Certe duorum istorum ope qui non viderit pedum viam, in hoc negotio, frustra quæret alibi, apud antiquos.

LXXXIV. Senecæ enim *epistola*, sunt potius fortè declamationes, & exquisitæ tractationes, quam epistolæ. *Cassiodori* autem *varia*, non destituuntur sane cordatis sententiis, & sensibus à civili dignitate non abhorrentibus: Sed sæculi character, nihil habet, quod

quod in exemplum ire debeat, cum de polita oratione agitur. Igitur historiae & prudentiae studio apprime utiles eloquentiam, si discesseris, ab ea quam modo commendavi, sensuum nobilitate subinde emicante, non admodum juvant. De *Symmacho*, pæne idem dicere volenti, nescio quod agmen hominum, vehementius, quam civilis mos fert, sapientium obstare videtur. Hunc enim in oculis, hunc in sinu ferendum; ad hujus stilum epistolas conformandas venditant. Fateor equidem, sententiis & inventionum ornatu præstare hunc scriptorem, sed plus affectationis ubiq; animadvertitur, quam in stilo politico tolerabile est. Neque repeto aliis dicta.

LXXXV. Adjicimusne aliquid de Poëtis? quorum eloquentia longius scilicet à civilis proposito stili videatur devertere. Præterquam autem, quod Lector veræ eloquentiae genio semel imbutus, ex omnibus bonis scriptoribus, potest in suos usus non pauca adjungere; illud hic tantum monendum est: esse quandam propriam gratiam, quæ ex Poëtarum acumine, inventionibus, agilitate, & elegantia in stilum civilem inferri potest. Cujus rei laudem non immerito in politissimi *Barclaii Argenidem* putes convenire.

LXXXVI. Cumque Poëtarum singuli, præsertim, qui in materia civili versantur, suum quisque conferre decus, perite mutantibus, non abnuant: civilitas tamen sententiarum, & totius stili, quodam genere propria *Ovidio est*. Intelligitur, etiam cum non dicitur, opus esse iudicio, in transferendis è ligata in prosam orationem, quæ transferri idonea sunt. Id si adfuerit, vix dici potest, quantum uni debere *Ovidio* queat Orator Politicus. Nominatim hic agendum fuit: quia in ceteris facilius vulgo quaritur, quod dicimus.

LXXXVII. In *Civili quoque Romanorum iure* non parum præsidii dixeris ad Eloquentiam Politici. Crebræ enim, quæ ibi leguntur, sententiæ habent quandam quasi pragmaticam gravitatem & auctoritatem: tum, quæ ad locum æqui ac iniqui, actionis item morisque humani argumentum pertinent, plerumq; diligenter & apte, & quasi ad ingenium negotiosæ philosophiæ exprimuntur: Etiam iis, quæ ab eloquendi consuetudine puriore discedunt, saepe ratio pro auctoritate est. Præsertim si materiam, & personam spectemus.

LXXXVIII.

LXXXVIII. Quis enim dubitet, Jctum, etiam cum in argumento politico versatur, eloquenter dicere aut scribere putandum, si oratio ejus referat colorem stili, qualis in lege, in SCtis, in responsis Prudentum, in rescriptis & constitutionibus Principum conspicitur? Est profecto ratio in mundo, quâ illa pleraque in cujusvis materiæ civilis usum ornatumque, erudite & decore aptaveris. Est etiam ratio, quæ simplicitatem imitandi, artibus facundiæ, in tempore & loco æquare, si non præferre potest. Illi quidem, non immerito forte, displicent eruditis, qui ex tot præclaris voluminibus, nihil præter paucas & humiles verborum figuras, & forte unicum Institutionum principium, tanquam solenne & perpetuum suæ eloquentiæ schema venditant.

LXXXIX. Ita valde delicatis auribus sit necesse est, qui Jctum, aut alium Politicum pragmaticumque virum, ubique fastidiat, loquentem cum *Cassiodoro*, aut *Scriptoribus historia Augusta*, *Spartiano*, *Lampridio*, *Capitolino*, cæterisque: qui, licet oratione non sint disertissimi admodum, argumenti tamen dignitate, & quodam publico characterè, sæpenumero plenam auctoritatem assequuntur. Fit enim, ut materia aliquid tale suadeat: ut repeti aliquid ex illis tanquam fontibus opus sit: ut allusio, huc potissimum referenda, locum & gratiam mereatur.

XC. *Philosophorum quoque vocabula, & Scholarum inventa*, quatenus in publicam formulam ivere, certisq; negotiis per omnes curias, aulasque veluti solenniter accommodantur, non video quomodo semper evitare queat Oratio Politici, cui inter præcipua cordi esse debet civilitas loquendi, probabilis sæculo, probabilis consuetudini. Sed quia hujus rei ante facta mentio est, unum illud adjungo: Eloquentissimum etiam virum, id est, ejus laudis, quam hic quærimus, amantem & peritum licet in promptu habeat optimas elegantium auctoritatis sententias & verba lectissima, tamen, cum ad Juris auctoritatem & disciplinam respiciendum est, locuturum aliquando rectius cum Jureconsultis, & Legibus, etiam ubi non adeo polite loquuntur; itemque cum alterius disciplinæ, scientiæq; placita attendi desiderant, mutuaturum inde, quantum usus vitæ civilis postulat. Atq; hoc est, quod sæpe notamus: Eloquentiam in loco negligere, magnam esse eloquentiæ partem. Sint legato exponenda mandata, quam periculose & indecore, studio purioris sermonis, discedet à solennibus
seculi,

seculi, & rethoricis descriptionibus operam dabit, ubi rerum explanata simplicitas quaritur? Hujus generis plura proponere liceret: in quibus argumenti atque consilii ratio, verborum quorundam legem dicentibus scribentibusque ultro præscribit.

XCI. Atque hæc, ita sunt hæcenus à nobis disputata ut amemus serio & vehementer, purissimam dictionem, valdeq; optemus: Veterum exemplo, civilibus negotiis accommodari stilum politissimum & accuratissimum: simul tamen existimemus, quia neque reformari semel genius sæculi, neque forma publici actus repente immutari, neq; explicandi commoditas, aut consuetudinis arbitria præfracte contemni possunt, fas & jus esse ingeniis ad remp. gerendam & ornandam natis, ne superstitione emendationis dictionis adversus utilitatem causæ aut propositum negotii se ubique trahi patiantur. Quam rem iis, ni fallor, limitibus constrinximus, ut reprehendendi occasionem non sit inventurus, nisi qui præ umbratilis ingenii caligine, ad civilis actus lucem nequit suspicere, aut eruditionis suæ tam est pertinax amator, ut judicia & exempla optimorum doctissimorumque hominum, quos ipsa Reip. tractatio erudit semper oppugnare, meræ auctoritatis credat.

XCII. Si aliquid hoc loco interponere licet mea ipse cædam vineta, & ultro profitebor, me, extra formulas publici actus, in vita liberali Musæ penitus permessa constitutum, quotiens de civilibus loquendum aut scribendum negotiis erat, multa Scholæ & officio docendi, multa consuetudini ac sæculo tribuisse. Quinimo adhuc sic sentio & fortasse semper sentiam: Qui feliciter in Academiis prudentiæ civilis disciplinam profiteri cupit, is subinde prout res ac tempus monuerit & philosophis & pragmaticis recentioribus aliquid dabit: ne vel aspernari possint, hoc genus studiorum, ut sterile & à moribus ævi alienum, qui omnia ad præsentis usus quotidianæ vitæ referunt: vel calumniam comminisci audeant, qui summam eruditionis, scholasticis formulis definiunt. Atque hoc ipsum qui nescit veteres fecisse, quorum prima interim semper auctoritas esse debet, vetustatis totius valde ignarus est.

XCIII. De Latina lingua in universum non loquor: in qua optandus sane fuerat major ætatum singularum & hominum eruditorum consensus. Exorti sunt, post instauratas literas, qui solum Ciceronem, & præter hunc paucissimos forte, nec nisi optimi ævi scri-

F

ptores,

ptores, unice sequendos Latine scripturo contenderent. His alii se opposuerunt, viri itidem magni: multisque & præclaris rationibus ostenderunt, injuriam fieri ceteris, si pauci illi tantum Latine scivisse crederentur; tum negotiis rebusq; vim quandam adferri, si non liceret rationem insequentium quarundam ætatum, in eloquendo pro exemplo amplecti. Quid *Erasmus* hac in re statuerit notius est, quam ut dici debeat. Idem nempe, qui *Hieronimos, Cyprianos* aliosq; exquisitæ eloquentiæ nomine in tantum cõmendavit, ut fatear, me in adolescentia nunquam dubitasse, an Latinum esset, quod talibus se auctoribus tueretur. Cum præsertim viderem illa ætatis proximæ lumina, *Lipsios, Scaligeros, Casaubonos*, non probare, si Latini sermonis terminos nonnulli, sicut dictum est, in angustias redigerent. Interea, nuper denuo ad pauciores & certos scriptores cœpit provocari: ut Latinum non haberetur in posterum, nisi quod eorum auctoritate defendi posset. Quæ sententiæ quin multum favoris habeat, non abnuerim, si consensu quodam, & certa regula concluderetur. Nec enim Duo adhuc fere per omnia inter se consentiunt. Neque crediderim, consilio & rationi scribentium, æquam omnibusque probatam sæculis libertatem adimi per hanc sententiam, sed ignorantia & securitati occasionem præcludi. Equidem qui scriptores, quibus essent præferendi aut postferendi, quæ cura instituto oratoris aut poëtæ conveniret, nemo ex magnis illis nominibus ignoravit: qui interim ex auctoribus non optimis, non sine prudentia & eruditione, argumento, & contextui sermonis, aut numeris, talibus denique propositis, quæ non possunt, nisi doctissimorum esse, subinde aliqua attemperaverunt: cum barbariem stili, & negligentiam ruditatemq; immane quantum odissent. Verùm, quæ sit hujus consilii ratio ineunda, præclare ostendit *Magnus ille Vossius*: cujus eruditissima in omni studiorum genere moderatio, facile deterioris propositi potest arguere violentiores *Aristarchos*: quorum stili si sequendus esset, proh qualia extarent elogia omnium summorum Virorum, quos à toto sæculo in hunc diem eruditi admirantur & colunt. Nescio enim an unum liceat excipere.

XCIV. Sunt autem ista loci alterius. Nobis nunc incumbit, aliqua adjicere, de exercitatione, quæ studiosum civilis eloquentiæ potissimum juvat ac decet. Neque ab ovo rem ordiri fas est, hoc modo, quo suscepimus, scribentibus. Quomodo igitur lectio præclarorum

clarorum Auctorum sit tractanda, aliunde notum esse debet. sicut & illa: unum aliquem Scriptorem præ ceteris sæpius versandum, ejusque exemplo imbuendum animum, quoad sani coloris lineas, formamque dictionis competentem judicare & concipere didicerit; in imitando tamen, non dinumerari syllabas, & ædificari ad mensuram propositam, periodos oportere: sæpe, & pæne assidue, scribendum esse, non modo, ut facultas sermonis promptius expediatur; sed ut oratio acquirat naturalem quendam vultum, absque quo, monstrosa apparent, etiam magni laboris artisq; opera.

XCV. Illud forte in transitu non prætermittendum fuerit: imitationis arcana (verissime enim ita appellaveris) non tradi præceptis & libellis, sed exquisita meditatione exemplorum, tentando conandoq; paulatim observari. Quod studium, cum sit accuratioris & interioris doctrinæ, paucissima semper magni profectus exempla tulit. Nam quod nonnulli e. g. existimant, se imitari *Ciceronem* cum ex *Nizoliano* forte penu, aut proprio quodam labore, Ciceronis dictiones & formulas solícite colligunt usurpantq;, & incisa atque membra, ad numerum, æmulari satagunt: ad profectum imitandi, de quo nobis sermo est, parum pertinet. Eiusdem generis est, cum quidam imitari se dicunt, quando sententias auctorum & sæpe totos periodos undecunque conducunt, ut postea connexis suum nomen præscribant. Tam magnificum scilicet illis videtur, veluti in compendio plures imitari. Festivior aliquis, diceret: se videre quoddam genus imitationis, quod pæne inimitabilia sibi proponit. inveniri enim, qui jurare audeant se *Corn. Tacitum* imitari, si nonnulla tanti Scriptoris vocabula, per crebras omissiones particularum conjungentium in gravitatem adornata chartis inscribant.

CXVI. Habemus sane exempla eruditissimorum virorum, quibus Sententiæ Scriptorum tam fuerunt familiares, ut quidquid dicerent scriberentque, quasi ex aliorum verbis contextum videretur. Sunt & alii modi, quos securitati cuidam in imitando aut negligentia affines, non semper dedecere quemvis, existimaveris. Nimirum omnis laus imitationis eruditæ, quodam genio judicanda est: qui si absit, nulla ars suum nomen tueri; si adsit, nulla simplicitas suum decus amittere potest. Porro, ille genius nihil æque averfatur, ac duo illa vitia, quæ rarissimus quisque vel judicat, vel vitat, quando sententia imitationis causa, non imitatio sententiæ gratia,

sub acumen stili vocatur; tum, quando contextus, & perpetua oratio, stadium imitandi per singula quodammodo intervalla prodit, & signat: cum nostrum debeat facere imitatio non indocta, quicquid mutuamur. De confusis in unam offam, diversis dapibus, vitia-
toque per alienos jungiq; dedignantur colores genio, nihil dicam. non enim præcipere instituimus hanc disciplinam, sed argumenti nostri occasione attingere.

XCVII. Sicut autem permisceri comica tragicis, poëtica oratoriis, oratoria civilibus, & sic deinceps, distantia distantibus, fas non fuerit: ita valde ineruditum esset, putare; à Comico nil nisi ad scenã, à Tragico nil nisi ad Tragicos cothurnos, peti posse aut debere. Est enim hoc ipsum Imitationis artificium: diversissima verba & sententias in unam æquabilem civilemque formam ita redigere, ut jam non sit Tragicum, quod à Tragædo; non Poëticum, quod à Poëta; non oratoris apparatu adornatum, quod ex apparatissima oratione translatum est. In qua laude tantum est pulcritudinis, quantum in portentosa dictione eorum, qui semesa & undiquaque ingesta frustra, in puras chartas evomunt, deformitatis apparet.

XCVIII. Possunt, qui imitationis artem & genium condiscere student, colligere (loquemur enim sub exemplo) historias, disputationes, & locos varii argumenti, ex optimis Græcorum Latinorumque Auctorum: ita ut rem eandem à pluribus vel narratam, vel tractatam in conspectu habeant, & quæcunque sive ad variandam, invertendamque orationem pertinent, sive ad Imitationem referenda sunt, erudite meditentur atque commententur. De qua re aliàs egimus. Hinc eximia specimina *Macrobius in Saturnalibus* proponet: ubi Virgilio imitationes Homericas considerat. Jam, quantum est doctæ *neiros* in *Suasoriis & Controversiis M. Senecæ*. Sed hæc atque talia, velut in monumento publico, non proposita modo sed demonstrata, facile erudiunt studiosum eloquentiæ. At vero, deprehendere exquisitas imitationes, in lectione Magnorum Auctorum, suoque profectui alimenta & adjumenta inde comparare ut plus ingenii & doctrinæ, ita præcipuum utilissimæ in imitando disciplinæ sibi vindicat. Tetigimus supra reconditas *Taciti* imitationes, è Græcis Latinisque, mirum quam feliciter traductas, neque immorari nunc licet.

XCIX. Si destinata nobis brevis pateretur, dicendum aliquid erat seorsum, de nobilibus quibusdam *Imitatorum & Imitationum*

num.

rum exemplis apud veteres. Sic inter poëtas *Virgilium* suum *Statius* imitatus est: ita tamen, ut assequeretur quidem ingenium & caperet majestatem sui exempli; sed rotundam illam, felicemq; sine tumore, sine salebris expositionem non æquaret. Sic propiore imitandi genere majoreq; similitudine *Hirtius* & *Oppius* Julii Cæsaris opera suppleverunt: ut appareat quidem, diversos, ejusdem tamen stili genio valde congruentes, auctores fuisse, qui imitantur, & quem imitantur. Sic *Sallustium* exprimere *Sulpicius Severus* non infeliciter tentavit. Nam à recentioribus exemplis nominandis, nunc quidem merito abstinemus.

C. Quare etiam antea, cum de *Lectioe* Scriptorum ageremus, nihil de *Lexico Politico* diximus: quod ita vocare, & commendare alibi consuevimus. Quoniam enim, in enarrandis bonis Auctoribus, rarissime & vix unquam in scholis, modo singula vocabula, modo locutiones & sententiæ (vel lingua notiore & ad interpretandum assumpta, vel eadem quæ explicatur) ita exprimuntur, ut appareat, quænam sint res ipsæ, veræ, ac in suo habitu usuque, quæ significantur: igitur operæ fecerit pretium, qui specimine publico, per nobiliora argumenta demonstraverit, quid præclari Scriptores intellectum velint, cum sic vel aliter loquuntur. Quotusquisq; non intelligere se rem credit, cujus corticem aut communem quandam exterioremq; formam potius, quam naturam & vim, in verbis, quorum non satis gnarus est, deprehendit: Disciplinam magni utique momenti, & diligentis explicationis, reservare oportet in locum opportuniorum.

CI. Hic vero pauca, de *Exercitationibus stili*, quibus eloquentiæ publicæ studiosus operam dare debet, earumque generibus, ut subjiciamus, æquum videtur. Enumerant satis diligenter & commendant *Exercitationum* ejusmodi nomina studiaq; *Cicero* (I. de Orat. 34, & 60. in Oratore 11. & 12. in Bruto 89. & 90.) *Quintilianus* (libro præsertim *Instit. Orat.* II. itemq; X, 5.) *Plinius Epist.* VIII, 9. Illa ergo non repetimus: sed sententiam nostram, uno alterove exemplo, declaratum imus.

CII. Sit *Deliberatio* aliqua instituenda, exercendi stili gratia, de *obsidenda urbe maritimâ*: Legi ante omnia debent, quæ de obsidionibus urbium univèrse habent, *Onofander in Strategico* (cap. 40. & seq.) *Leo Imperator in Tacticis* (cap. 15.) *Vegetius libr. IV.* quamquam is:

F 3;

potius

potius de urbibus defendendis quam oppugnandis agit. Coniungere licebit, quæ *Lipsius in Poliorceticis* huc pertinentia tractat. Deinde exempla talium obsidionum cognoscere par est, optimis Auctoribus descripta: qualia sunt obsidio Tyri apud *Curtium lib. IV.* Syracusarum apud *Livium lib. XXIV. & XXV.* cui addi potest *Polybius l. VIII.* Massiliæ apud *Casarem. Bell. Civil. I.* itemque apud recentiores: Deliberatio de obsidenda Rupella, ipsaque obsidio, apud *Bartholomeum Grammondum hist. Call. libr. XVIII;* Antuerpia obsidenda & obsessa, apud *Famianum Stradam. bell. Belg. Decad. II. libr. 6.*

CIII. Qui hæc cognoverit, ille, nisi aliud egit, vidisse potest pedum viam, qua sit incedendum. Rebus, inquam, & verbis sententiisque, abunde instruet scriptum ista lectio. Neque ambages timueris in ea consuetudine, quæ in plerisque argumenti politici partibus adhibita, prudentiam simul & eloquentiam, instar unici compendii, tibi conciliabit. Aliter illis exemplis intelligentia, provocatur & allicitur ingenium, confirmatur fiducia, acuitur iudicium: præsertim cum antiqua recentibus, singula denique singulis comparantur. Scripta enim recentiorum, ut hoc semel dicam, vel cum erudita sunt, artem & successum imitandi demonstrabunt; vel cum materiæ explanatione contenta scripturæ diligentiam non attingunt, usum & formam præsentis scenæ exhibebunt: cuius nihil ignorandum est, si velis priora nostris, ex universo studiorum genere, attemperare.

CIV. Sit agendum de *Crimine Maiestatis desiniendo*, aut *probando*, aut *puniendo*: faciliorem in omnia non prudentiam modo sed eloquentiam expediet, qui *Sallustii Catilinam, Ciceronis Catilinaris, Rabirianam, Philippicas; causam Philotæ, Parmenionis, Amyntæ & Simmiæ, Hermolai & Sociorum*, apud *Curtium*; *Seiani* apud *Dionem & Tacitum* cognoverit: hisque conjunxerit exempla nobiliora, alia, apud *Livium* (utin *caussa Manliana*) apud *Dionem* (utin *caussa Cinnana*, de qua etiam *Seneca l. de clem. 9.*) apud recentiores, ubi magna & multa hujus generis argumenta obvia sunt. Extra ordinem de novo nominandus est *Tacitus*, qui & *prope finem primi Annalis*, & toto deinceps Principatu Tiberiano, ne de reliquis dicam temporibus, rem gravi iudicio illustravit, quod & *Plinio Panegyristæ* fuit propositum. Talibus monumentis accedere possunt, Politicorum placita & Jurisconsultorum, nominabo ex singulis unum. *Lipsius* enim multa in brevi

brevi Politices libello vel conduxit vel indicavit. Et *Jacobi Illius Gothofredi* commentatio ad *L. Quisquis C. ad L. Jul. Mai.* toti materiae lucem adfert. Nam *sententia Curiarum illustrium, & Consiliorum*, vel in superioribus intelliguntur, quatenus pars historiae sunt: vel seorsum nunc commendantur, quatenus pro loco & tempore, formula totius tractatus propius inspicienda venit.

C V. Scilicet, cum Majestatis causae, plerumque non tam formulis juris definiantur, quam ex regulis status, quas vocant aut utilitate Reip. adeoque Prudentiae interioris arbitrato, agitentur, ante omnia, per singulas partes noscendum est: quae tempora, quae causae, quae jura, crimen majestatis vel angustius circumscripserint, vel porrexerint latius, vel effinxerint speciosius, vel sollertius tractaverint, quae gravitatis fuerint, quae severitatis proposita: quid disciplinae rei publicae, quid consiliis dominationis datum: quid regnorum necessitudo, quid tyrannidis impotentia, in hoc argumentum intulerit quibus quasi pragmaticis sententiis, vel intendendo vel moderando facto, imponendo item aut depellendo crimine, circa quaestionem, circa condemnationem, circa ultionem, consueverint uti, & quos colores in eandem speciem didicerint adornare, magistri majestatis interpretandae ac vindicandae. Vix dici potest, quantum subtilis & arduae prudentiae lateat in materia: ad quam, tanquam ad tremendum mysterium, nunquam secure accedendum est, si usus Reip. vocem aut calamum postulet.

C VI. In orationibus gratulandi, salutandi, precandi, venerandi, laudandi, gaudendi, & lugendi officio destinatis, major quodammodo occurrit difficultas, quam in cetera eloquentia. Nam in reliquis, materia semper ex se rationem & paene formam dicendi, suppeditat advertentibus: hic minimum saepe est, argumento satisfecisse. Ibi doctrina facilius, quod naturae deest, supplet: hic nihil absque ingenio feliciter tentatur. Si liberius loquendum esset, quam paucae in hoc genere extarent orationes genium negotii affecutae? Igitur vehementer probandum est, maximorum virorum consilium, qui cum in talibus argumentis, Principum Majestati & solennibus publicae pompae, decore obsequendum esset, omnem & spiritum & vim dicendi ex prudenti aestimatione totius scenae, ut sic dicam, repetierunt: atque, si ignorarent veterum aut eruditorum curas, in affectata attentioris prudentiae gravitate, eloquentiam non invi-


tara

tam sibi accommodarunt; sive in promptu haberent doctorum sententias, ita eas respexerunt, ut auspicio suæ materiæ omnia potius, quam artificio oratorum aut imitatorum mallent debere: sed de hac re, non potest obiter aut breviter agi.

CVII. Ostendimus autem alias, magna & varietate & copia, quomodo vel in tractandis veterum argumentis versandum sit, cum sub incudem revocantur ea, quæ pluribus nec uno modo tractata, novæ scriptiōnis formam facile & varie recipiunt; vel quid ex negotiis præsentis vitæ, laboribus comparandæ eloquentiæ civili destinatis, maxime accommodare liceat. Disputavimus etiam de isto more, quo aliqui periculosâ, certe mali exempli philosophiâ, gravissimas lites, & jura bellorum inter summos Principes controversa in medio rerum motu, tractuq; tanquam importuni arbitri, in scholis non tantum declamanda proponunt, sed declamata dicam an conclamata, typis evulgant ostentantque. Scimus, quid salva privatorum modestia intra privatos parietes, ex publicatis commentariis ad usum Juventutis provectoris aptari sine temeritate queat. Sed istud genus intemperantis & loquacis disciplinæ, à reverentia magnis fastigiis debitâ longius abit. Debebat autem omnis institutio, & doctria ad Reipublicæ honorem, & virtutis civilis bonique moris legem conformari.

CVIII. Nobis fas erit hîc subsistere, postquam dissertationis modum implevimus. Neque enim volumina aut præcepta scibere, sed ad locum *Taciti*, de Eloquentia Romanorum Principum, quædam, erudiendo in his studiis judicio opportuna, annotare constituimus. Summa eorum, quæ diximus & clausula esto, nobile, atque, quia de Principibus hic sermo cœpit, proprium Philippi Macedonis exemplū: cui apud *Iustinum* inter alias regias artes tribuitur eloquentia & insignis oratio, acuminis & sollertiæ plena; ut nec ornatui facilitas, nec facilitati inventionum deesset ornatu. Habes in istis verbis eloquentiam & Principis, & Politici, quam hætenus quærimus.

F I N I S.



Ks-290

ULB Halle

3

004 108 736




Sb

Handwritten scribbles in blue ink at the bottom of the page.







CI BOECLERI

BR 4725

ENTIA
ICI

U.S.

D LOC. TAC.
nal. 3.

RINCIPUM
m.



RATI

DELII, ACADE-
PHI.

IV.

